


LAVRENTII
GAMBARAE

BRIXIANI

~~SACRORUM POEMATV~~
POEMATIA SACRA.

~~LIBRI DVO~~

AD ANTONIVM PERENOTTVM
Cardinalem Granuellanum.



R O M A E,
Apud Franciscum Zanettum
M D LXXXI.

7

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS



DE ABRAHAM PATRIARCHA.

Ex Gregorio Nysseno.



ARGUMENTVM.

Abraham iussus a Deo vt ipsi Isaac in holocaustū offerret : statim cum puero ad monstratum montem contendit; fortiq. animo iussa peragere parantem Deus inhibuit, ac collaudauit.



*HÆC quicquid non te lateant PERENOTTE, videbis
Sit gratus quantum eterno, acceptusq.
parenti
Ille Deum qui mente colit, veneratur,
amatq.*

*Ex animo; ac sancta illius mandata facessit,
Posthabuitq. Deo tot mundi regna, tot vrbes,
Atq. Hermi mixtas auro currentis arenas.
Hæc PERENOTTE legas, tibi si dabit otia forsan
Hesperia Rex extrema; quo Principe terras
Iustitia & pietas virtusq. antiqua reuisit.*

*Postquam cognatos Abraham, patriamq. reliquit,
Cælestis iussu Domini perquirere terras
Diuersas alio missus sub Sole iacentes:
De inde fame impulsus Mareotida regna petiuit,
Atq. hinc digressus depressam habitauit in Hebron*

4
LAVR. GAMBARAE
Conuallem iuxta Mambre: qua Sarra virilem
Enixa est sobolem, quamvis atate senili
Confecta, sterilis iam pridem, effœtaq. Sarra.
Nam Deus optatam sobolem promiserat illi,
Cum tres hospitio iuvenes accepit amico:
Ardua, difficilisq. etenim res omnipotenti
Esse potest nulla; ex nihilo qui cuncta creavit.
Mens sincera Abrahæ quamvis iam corda tuenti
Esset nota Deo: tamen hunc tentavit, & in re
Sensibus humanis quæ horrenda est, duraque, toti
Ipsius ut virtus magis innotesceret orbi.
Cum puer ergo Isaac teneris pubesceret annis,
Ecce Deus clamans duplicatis vocibus, Abraham
Tolle tuum natum vnigenam, quem diligis Isaac,
Atq. locum pete, quem dicam; quo vertice montis
Igne mihi totum incendes. mora nulla parat se,
Atq. operi sese accingit: dehinc sternit asellum,
Cum terra & calum nigranti obtexitur umbra.
Et geminos secum iuvenes adduxit, & vna
Ipse sequebatur non aquis passibus Isaac:
Victima iam deuota Deo, mortisq. propinque
Inscius: astitit Abraham solers, & certus eundem
Collegit ligna in nemore; atq. imponit aselli
Collectum costis fascem; superareq. montem
Abraham tendebat, veluti præceperat olli
Omnipotens genitor: sed postquam tertia lampas
Effulsit solis, lustravit & æthera, & omnes
Terrarum tractus radianti lumine, vidit
Frondosum procul ipse locum, montemq. virentem.
GRANVELLANE hominū quis nō miretur Abrahæ
Quod patris æterni intrepide sic iussu faceſſat; (mum,
Tale

Tale nihil non ore loquens, nec pectore voluens?
 Heu noua lex semper nostris contraria votis,
 Et multis cumulata malis me vexat, & angit.
 De patria cessi iussus, ciuesque, meosq.
 Sanguine coniunctos liqui; & regna extera semper
 Incolui, Patris aeterni mandata secutus.
 Quid sperare mea reges de stirpe iubebat;
 Si gladio puerum interimo? frustra mihi dixit:
 Te faciam in gentem magnam, populumque, tuumq.
 Semen erit numero, quot sunt vaga sidera caeli.
 An ne sacrum hoc dicam Sarræ; quæ mæsta virilem
 Progeniem optauit toties? non illa superstes
 Nato erit; at cadet ægra prius concussa recenti
 Cura animum, nati interitum ne cernere possit:
 Aut natum horribilem ad mortem comitabitur; atq.
 Concidet illo eodem, quo natus concidet ense.
 Ipsa foret nimium ab felix, si luminis auras
 Postquam hausit puer ætherias, mors atra profundum
 In somnum æternum sua lumina conclusisset.
 Ipsa Agar dilecta mihi, natusq. senectæ
 Iam lapsæ columen nostræ, roburque, decusq.
 Eripitur; & nostræ ferunt vota irrita venti:
 Quos forsā fera per siluas inuenit, & ambos
 Discerpit morsu, atq. auibus, canibusq. reliquit.
 En etiam cœu non ageret me cura, dolorq.
 Tantarum rerum expertem; nostriq. fuissent
 Iam cassi lacrymis oculi; suspiria cœu non
 Crebra nimis quæterent longo præcordia questu.
 Hac mihi fors rerum manet intentata, meumq.
 Quem rerum heredem vnigenam me linquere rebar
 Extremo hoc senij spatio; per inania caeli,

Inq. quidam Syrtis tulerunt mea gaudia Cauri,
 Non optata semel : natum nam cedere cogor,
 Atq. illum in rapidos ignes ingulare paterna
 Hac dextra. heu casus nullis auditus in oris.
 Nonne fuit satius natis caruisse, nec ullum
 Sperasse ex me me heredem, nullosq. nepotes?
 Quem genui interimam, nec me matrisque, meiq.
 Tanget amor, natiq. simul nil tale merentis?
 Nempe alius non sic afflatus numine Patris
 Aeterni, forsan corde hac dixisset amaro.
 Nam quis tam ferus est, qui non deploret amici
 Vnanimis subitum interitum, casusve sinistros?
 At non ille tamen dilecti funera nati
 Desleuit. fleuit David postquam agmina versa
 Audijt, interitum & Saulis, Ionathæq. cruentum:
 Et vestem scidit, & conspersit pulvere crines:
 Insidias quamuis illi rex sæpe parasset,
 Inferriq. necem infanti mandasset acerbam.
 Et circumstantes socij fleuere, ducesque,
 Quos secum bello insignes rex David habebat.
 Idem Absalonis desleuit funera nati,
 Qui secum infestis pugnam commiserat armis.
 Ast diuinum Abraham sermonem mente reuoluens,
 Exequitur propere summi mandata parentis.
 Ac postquam aerij conspexit culmina montis,
 Continuo hunc versus non tardis passibus ibat.
 Ut vero montis radices venit ad imas
 Substitit, & faciem non pallidus; at magis ardens
 Incæptum perrexit iter; dixitq. duobus,
 Quos secum adduxit: Vos fessi hic sistite gressus:
 Nos vero montem soli ascendemus opacum,

Atq.

*Atq. ibi adorabo diuinum numen, & ipsi
 Facta olim Domino reddam mea vota; reuertarq.
 Ad vos cum puero perfectis ordine rebus.
 Dehinc teneri imposuit nati ligna arida dorso:
 Ipse ensẽm incuruum dextra, lauaq. gerebat
 Semiuſtum torrem. sed dum nemora ardua ſubter
 Ambo irent taciti: blanda ſic voce parentem
 Alioquitur puer, Hircanas quæ ſlectere tigres
 Poſſet, & Eridani torrentes ſiſtere curſus,
 Ne dum hominum humanos ſenſus, animumq. paternũ:
 Tu portas ignem, & gladium: ſed victima nulla eſt,
 Quæ calido tingat cultrumque, aramq. cruore.
 Dixerat, ille autem ceu ſaxum immobile ponto
 In medio poſitum, quod non veniente procella,
 Non flatu Boreæ horriſono, fluctuue mouetur,
 Sic dictis Abraham nati non ſlectitur vllis,
 Quem genuit; tanto nec frangitur ille dolore.
 Mens eadem aſt illi perſtat: nec fundit amaras
 Ex oculis lacrymas nece nati, aut turbidus ipſe eſt:
 At placide hæc reſponſa dedit: Mi nate relinquo
 Hanc ipſi curam Domino. montiſq. cacumen
 Deuenit properans, quo ſacram conſtruit aram,
 E lapide informi crebris & flatibus ignem
 Suſcitat impoſitum folijs arentibus. iſaac
 Dehinc genitor natum vinclis, & fune reuinxit,
 Et ſupra ſaſcem hunc poſuit, veluti foret almo
 Parua bidens maſtanda patri: tacitusq. paternum
 Demiſſa ceruice iſtum expeſtabat, & acre
 Vulnus in altari poſitus: nam viderat enſem
 Sublatum patris dextra, mortemq. ſerentem.
 Saltem illum blandis verbis affatus, & illum*

Solatus foret amplexu, vultuq. paterno.
 Forte alius puero merens hæc dicta dedisset:
 Non ego nate volens, non in te percitus ira
 Id facio, quem nunc teneo, & mox sternere ferro
 Certa mihi mens est: Domini tu victima iussu es,
 Qui mare, qui terras, qui cæli condidit arces.
 Non hostem me nate tuum, sed respice patrem,
 Vllus edat nec te tacitum dolor: ipse ego tecum
 Optavi semper vitam producere, teq.
 Linqvere tot rerum heredem mi nate mearum,
 Atq. ex te genitos nostra de stirpe nepotes
 Cernere, & ante tuos obitus me linqvere semper
 Morte mea has humiles terras, condiq. sepulchro
 Ipse tuis manibus: sed cum sint cuncta supremo
 Postponenda Deo, mihi parce: atq. vltima patri
 Oscula tu interea mihi non dare nate negabis.
 Talia sed non ille animo voluebat, & vni
 Sacro erat huic tantum intentus, dextraq. tenebat
 Alte districtum gladium, læuaq. premebat
 Isaac dilectum: veluti de more sacerdos
 In sacris premere est solitus vitulumve, bidentemve.
 Isaac interea vitam gladio ipse dedisset;
 Ni foret e celso vox vertice reddita cæli,
 Atq. inclamasset duplicatis vocibus Abraham,
 Nuntius æterni Patris aliger, & dixisset:
 In puerum ne extende manum, sed contrahæ dextram:
 Victima nam tibi non deerit: tu vincula nati
 Stuppea solue tui: nunc noui te mea iussa,
 Sint ea magna licet, seruare haud pectore flecto:
 Meq. times, nam te haud nati tetigit dolor vllus
 Vngena: nec me propter tua dextra pepercit

Immerita

Immerita morti additio: tua certa voluntas
Ista loco est pecudis mihi caesa in limine templi.
Noluit omnipotens genitor sine caede reuerti
In sedes Abraham Mambra. namq. ille ubi vultus
Sustulit, aspexit vicino in vertice caprum
Vepribus a tergo perplexum cornua densis.
Tunc alacris se tollit humo, & letatus ad aram
Adduxit pecudem oblatam, cui crura pedesq.
Alligat, aeternoq. Patri pro munere grates
Ingentes agit: ipse aries iugulo accipit ensem
Letiferum, atq. aram spumanti sanguine tingit.
Nati magne tui mortem non accipit Abraham
Rerum opifex, mundo quia prorsus inutilis esset.
Est patri aeterno dilectus filius, in quo
Nostra salus posita est, nec non spes omnis in illo
Humani generis. longo hic post tempore formam
In ducet humanam, & tenues exibat in auras
Virgineo ex utero, & Solymis habitabit in oris.
Hic palmas ferro, atq. pedes traiectus acuto,
Atq. latus, pœnasq. graues mortemq. subibit,
Ut redimat mortale genus de carcere tetro,
Et ducat nitidas caeli sublimis ad oras.
Significabat enim sacrum hoc crudele, cruentam
Horrendamq. necem Christi, plagasq. crucemq.

F I N I S.

Sumptum ex libello Athanasij episcopi Alexandrinae urbis de passione imaginis IESU Christi, qualiter crucifixus est in Syria, in urbe Beryso: qui citatur in septima Synodo, secunda Nicæna, actione quarta, sub Constantino iuniore, & Irene eius matre celebrata.

Petrus Nicomedia episcopus libellum hunc diui Athanasij esse scribit.

ARGUMENTVM.

Beryti Hebraei cum Christi effigie tormentis omnibus quæ Christus pertulit affecissent: effluente elatere sanguine, quo morbi omnes sanabantur; ad Christi fidem conuersi sunt.

Accidit Assyriæ res hæc notissima in oris.
*Berytus posita est inter Sidonam, Tyrumque;
 Quam multi Solymæ gentis, nostræque colebant.
 Urbe domum hac magna populus Iudæus habebat:
 Qua de more preces effundere rite solebant.
 Vir iustus, metuensque Deum conduxerat ædes
 Hanc iuxta, & Christi secreta in sede locarat
 Effigiem ex ligno: sed cum migrasset ab illa
 Sede in sedem aliam; thalamo pius ille reliquit
 Oblitam effigiem: nec tu mirabere, namque
 Consilio hæc, nutuque Dei facta esse fatendum est:
 Qui quondam cæli de vertice venit, ut ipsum*

Morte

Morte suamortale genus de sede profundi.
 Tartarea exipiat; nitidis atq. inferat astris:
 Utq. bonis etiam sua tot miracula monstrat,
 Signaque, confirmetq. illos, grauiusq. malorum
 Perfidiam increpiter. mox & conduxit eandem
 Hebraeus sedem, qua liquerat ille recessu
 Suspensam obscuro effigiem: Iudaeus at ipsam
 Secreto positam in thalamo non viderat vnquam.
 Sed cum luce sacra socium in sua testâ vocasset
 Ad certos de more cibos epulasq. vetusto;
 Atq. dapes inter positas, dum multa loquuntur
 Inter se, thalamo sublustri vidit Hebraeus
 Accitus Christi effigiem, mentemq. furore
 Accensus subito ardenti, se turbidus ira
 Suscitât, atq. domum totum clamore repleuit:
 Et socium insfrendens mala iurgia iactat in ipsum;
 Fudit & in Christum conuicia plurima, & inquit:
 Abramidum cum tu genus alto a sanguine ducas,
 Inuisum hanc statuam nobis in sede remota
 Cur seruas? tunc admirans, atq. inscius hospes,
 Et iurans, se vnquam thalamo hanc vidisse negabat.
 Quid dicam? siluit malus ille, silensq. recessit,
 Primoresq. adiit gentis; queis cura sacrorum
 Credita erat, factiq. notat nil tale timentem
 Crimine iam notum a teneris, ac talibus inquit:
 Testa habitat quidam ex nostris, quae proxima sacra
 Respondent domui, solido qui ex stipite seruat
 Confectam Christi statuam in penetrabilibus atris,
 Quae pulchra est, & magna satis. tunc omne fremebat
 Concilium inter se, postquam cuncti hoc scelus audax
 Audiuerunt; tamen tacuit: namq. humida campos

Oceani, & terras inuoluere cœperat umbra
 Nox picea, sed non obliti cum noua lampas
 Solis ab Eoo lustrasset littore calum.
 Mane sacerdotes summo cum præside gentis
 Vicinam petiere domum: delator Hebræus
 Anteibat celerans omnes; nouus incola recti
 Intus erat, nil tale putans: qui post ubi vidit
 Hos pulsare fores; ætutum ipse reclusit:
 Ingressi, aspiciunt intus quod dixerat illis
 Delator: namq. in thalamo suspensa manebat
 Haud dubia effigies Christi: tunc protinus omnes
 Iniecere manus illi, grauibusq. vicissim
 Opprobrijs ipsum vrgebant: dehinc verbera multa,
 Sæuaq. per pessum thalamo eiecere gementem.
 Tum gens ceruicis dura, Chanaamq. propago,
 Et nobis infensa odijs, facta agmine Christi
 Deposuere solo lignum venerabile, & vna,
 Vnanimesq. serunt hæc verba infanda vicissim:
 Quandoquidem Christi fama haud obscura, leuisq.
 Ad nostras non tantum aures, sed nota per vrbes,
 Atq. etiam maris extremi peruenit ad oras:
 Atq. modis nostros varijs, verbisq. parentes
 Irrisisse olim iam passum verbera Christum,
 Nos quoq. progenies illorum, facta sequamur
 Illa eadem. mora nulla alacres illudere primum
 Cœpere huic statua, tortis & cadere loris.
 Atq. alius rabido hæc profudit pectore: Nostri
 Espinis Christi caput incinxere corona:
 Nos etiam spinis cingamus imaginis huius
 Tempora: & intactum nil nos linquamus; vt olim
 Fecerunt nostri. tandemq. hæc perfida proles,

Et genita ex Belial, perfricta & fronte, furorem
Concepit mente infrenem, saturata nec vnquam
In Christum ipsa odijs voces prorupit in illas:
Fabula non vana est; ferrata cuspide miles
Iamdudum extincti perfodit pectus IESV;
Qua dextrum latus est: addamus nos quoq. partem
Extremam hanc etiam, ne nos fecisse minus, quam
Nostri olim fecere patres dicamur inertes.
Non secus ac deprensam inter nodosa leonem
Retia; cum cingunt dextra, laeuq. molossi
Latratu, morsuq. petunt: at lata iuuentus
Venantum capto insultant, & spicula figunt
Visceribus, cum dente canes feriuntq. trahuntque:
Sparsaq. tunc circum viridis rubet herba cruore.
Quid dicam? tempus non longum effluxit, & hastam
Iussere afferri, atq. vni de gente dederunt;
Vt pectus statuæ ingenti percelleret ictu.
Qui postquam hoc facinus inflicto vulnere fecit:
Res mira, & non vnquam aliàs audita, repente
Namq. & aqua, & sanguis infando e vulnere fluxit.
In nece signa autem Domini quæcumq. fuerunt
Et visa, atq. audita palam, quo tempore celsa
In cruce pendebat mundi saluator IESVS;
Illis eadem euenerunt etiam: gentisq. minister
Aspiciens late fuscum per membra cruorem,
Atq. rei seriem, & factum miserabile, dixit:
Quem nunc finem habeat res hæc videamus; & vnam
Afferri iubet haud paruum, lateriq. cruento
Allatam admouit, tunc qua de pectore Christus
Magnum expirabat (visu mirabile) flumen
Sanguinis. hæc cernens princeps sic farier orsus:

Hi quoniam qui sunt Christi praecepta secuti,
 Atq. colunt illum, super ipso multa susurrant:
 Quem factis supra cunctis mirantibus omnes
 Mortales iuisse ferunt, quae secula lapsa
 Efficere haud potuere unquam: & dixere feramus
 Urnam hanc ad sacram sedem, aegrotosq. vocemus,
 Quos omnes hoc ungamus medicamine: nam si
 Quae dicuntur erunt de Christo vera, repente
 Euadent morbo: si vero haud tabe leuatos
 Cernemus, fient nuga, & ludibria vulgi.
 Hydraq. altitum sacram defertur ad adem:
 Atq. sub aerea oppressos testudine morbo
 Acciri iussere: adsunt de more vocati.
 Aduenitq. senex neruos resolutus, & omni
 (Ut lucem hanc hausit) sine robore: rite sacerdos
 Primum vnxit, primusq. abiit, liquitq. grabatum:
 Atq. Deo grates lacrymis rostantibus egit.
 Luminibus captos adducunt, atq. perungunt
 Illorum caecos oculos: qui protinus omnes
 Optatum lumen (ceu pulsa nube) receiptant.
 Firmauere etiam claudi vestigia, & aures
 Surdorum audire sonos, & verba loquentum.
 Aduenere alij varijs languoribus acti;
 Quorum artes medica haud potuerunt tollere morbos,
 Carminare, Euboicis aut lecta in montibus herba.
 Unanimes vero Isacida, vt videre tot egros
 Omnes incolumes, Christo haec dixere gementes:
 Credimus o tibi Christe, & te veneramur obortis
 Cum lacrymis proni in terram: quem morte cruenta
 Et turpi falso damnarunt crimine patres
 Nostri olim: nunc a nobis hanc in cruce figi

Passus es effigiem: crimen quod fecimus omnes
 Ex animo delere tuo te Christe precamur.
 Inq. viam duc nos, duce qua tua iussa sequamur.
 His dictis subito cuncti accessere ministrum
 Supremum nostræ gentis, rerumq. sacrarum,
 Et tanti huic seriem facti exposuere, & atrocis
 Criminis in Christi effigiem, veniamq. petebant
 Commissi sceleris. Præsul sermone peracto
 Illos dimisit laetos, certosq. vocavit
 Mane sacerdotes, qui sacris ritibus illos
 Instruerent, summiq. Patris mandata docerent:
 Quiq. hanc in multos Solos extendere curam
 Possent: quos omnes tinxere salubribus vndis
 Primores, nec non plebem. Antistesq. sacrauit
 Luce sacra illorum (cunctis adstantibus) ædem:
 Et Salvatoris mundi memorabile nomen
 Huic adi vnanimes cuncti imposuere vetusta:
 Et bicolore hedera, & myrto, semperq. virenti
 Alta coronarunt templi sacra limina lauro.
 Gaudia permixti communia declarabant
 Hebræi nostris, vultuque, animoq. vicissim;
 Tota exultabat Berytos maxima late
 Letitia, haud tantum propter iam libera morbo
 Corpora, & insomni cura, sed propter Auerno
 Exemptas ipsorum animas, pœnaq. perenni.

FINIS.

*Miraculum imaginis Christi crucifixi in tabula
depicta. Ex Gregorio Archiepiscopo
Turonensi.*

ARGUMENTVM.

Hebraeus tabellam, in qua Christi crucifixi imago
picta erat, e templo noctu raptam percussit, do-
mumq. detulit: illa sanguine manans Hebraei ve-
stem, & viam tinxit. Sacerdotes mane animad-
uertentes tabellam abesse, per signa sanguinis ad
Hebraei domum peruenere: qui re cognita lapi-
dibus obrutus est.

Cum sacra Hebraeus tabulam vidisset in aede,
In cruce pendentis qua Saluatoris imago
Picta erat: indignans inimico hac pectore fudit:
En solitus sermone suo seducere turbas,
Qui nostrae gentis turbo seuissimus, illam
Ceu Notus, huc illuc nigrantia per freta voluit.
Nos etiam amisso commota per aquora regno,
Quassata vt puppes ferimur, cum apparet Orion.
Dixit, & ingressus sub opaca est nocte sacellum,
Et tabulam arripuit manibus, de more tenebat
Quam clauo affixo paries prope numinis aram
Aeterni, & gladio educto ferus ille tabellam
Transfodit: mox occultans sub veste paternam
Attulit ad sedem tacitus, thalamumq. petiuit,
Cum nox & calum & terras tenebrosa teneret,
Atq. ignem cinere obductum, lignisq. retexit,
Traderet vt flammis animo indignante tabellam.

(Horresce)

(Hortefco id memorans) de vulnere quod firus ille
 Fecerat, erupit non copia parua cruoris:
 Ille ira accensus rabida, subitoq. furore
 Viderat haud ictum teli, nec sanguinis vndam
 Senserat ingentem; tenebras ob noctis obortæ.
 Sed postquam sparsum largo se sanguine vidit:
 Ne tantum scelus hoc hominum penetraret ad aures
 Permetuens, tabulam secreta in sede recondit,
 Ulterius non illam ausus contingere, tanto
 Attonitus factus. sed postquam lampade densas
 Dimouit noctis tenebras, lucemq. reduxit
 Claram oriens, templi subito venere ministri,
 Atq. sacerdotes facturi sueta supremo
 Sacra Patri, templumq. ingressi, & poplite flexo
 Et capite ante aram, per fracto pariete cernunt
 Ablatam furto tabulam: trepidiq. requirunt
 Per templum, atq. aras, subterq. sedilia templi.
 Mox dextra aspiciunt effusi signa cruoris:
 Nam cruor ille viam maculis signarat, & ipsum
 Detexit furem: tunc sanguine semita duxit
 Vda sacerdotes recta latronis ad adem:
 Intransesq. domum furem inuenere negantem
 Omnia, nec facti seriem memorare volentem:
 Iudeo at non credentes, perquirere totam
 Intentiq. vnanimisq. domum, locaq. abdita tecti:
 Quam tandem inuenere, sacrata inq. æde locarunt.
 Quidam autem ex nostris nolentem vera fateri
 Conuictum furti Hebraum, sacroq. videntes
 Sanguine concretam vestem, trepidumq. timore,
 Obruerunt multis tecti prope limina saxi.

F I N I S.

B IOSEPH

EX SERMONE DIVI EPHREM
diaconi ecclesie Ediffensæ de laudibus sancti
Ioseph Patriarchæ.

Ioseph a fratribus tunica spoliatus.

SE Ioseph tunica spoliatum vt vidit ab ipsis
 Fratribus, actutum mortē qui inferre parabant,
 Atq. illum in veterem cisternam trudere, visu
 Dirigit, nil tale putans, causam licet ille
 Nosceret inuidia atq. odi. nam somnia, quæ per
 Dulcem nocte atra vidit, gratamq. quietem,
 Germanis sepe incautus narrauerat: vnde
 Inuidiæ caput, & crimen manarat: & ille
 Prospiciens non posse manus euadere fratrum,
 Ad lacrymas, humilesq. preces se vertere. namq.
 Nullus erat, puero auxilium qui ferre supremis
 In rebus posset: supplex se, & pronus ad ipsos
 Vertit, vbi via vix voci laxata dolore est.
 O fratres tam dira in me quæ vos agit iras?
 Ponite nunc animos, auresq. aduertite vestras
 Ad me oro, nam pauca loquar. mea mater ab oris
 Concessit dudum superis: quam deflet ademptam
 Insolabiliter genitor. cur addere vultis
 Patri alias lacrymas, alia insuper & lamenta?
 Reddite me patri, atq. meas ne spernite voces.
 Ille meos reuictus noctemq. diemq. moratur:
 Vos vero patris, & vestri miserescit fratris:
 Perq. Deum vos obtestor, pariterq. parentem.

*At fratres precibus tantis non pectora flexi,
 Nomine non summi Patris, qui temperat oras
 Aethereas, quamquam ille pedes amplexus obortis
 Cum lacrymis prostratus humi, clamansq. rogaret
 Tot fratres, tamen in foueam misere vetustam,
 Et mersam tenebris late & caligine densa.*

Ioseph in cisternam proiectus quid dixerit.

Cisternam in veterem Ioseph demissus acerbo
 Cum gemitu, sortemq. suam, patrisq. dolorem
 Ingemuit, traxitq. dolens suspiria ab alto
 Pectore, & hæc lacrymans dixit: Pater aspice Iacob,
 Quæ nunc euenere mihi: misere profundam
 In foueam me me hanc fratres, nec verba precesque,
 Non lacrymæ, nomenq. tuum valere, sed agnum
 Ceu rabidi inuasere lupi, ego dum tua iussa
 Exequor, in nemoram & saltus perquirere fratres
 Incumbo huc illuc trepidus; frustra q. meos tu
 Expectas reditus, nunc sim cum carcere clausus,
 Ceu latro, solitasq. mihi non reddere voces,
 Non audire licet tibi nunc, humerisq. senectus
 Amplius haud tua tarda meis innititur, & te
 Non ultra aspicio, cum sim diuisus in annis
 His teneris a te. sed quis mihi forte columbam
 Præpetibus celerem pennis det, quæ tibi nostram
 Nuntiet aduentare necem, lucemq. supremam?
 Iusti Abelq. tu ò terra olim perfusa cruore
 Clamasti ad cali regem, Dominumq. Deumque,
 Sanguine pro effuso pueri: tu nunc quoq. clama,
 Defer & hos gemitus iam mæsti patris ad aures.

Sanguine cum nati tunicam vidisset Iacob
 Respersam multo, vultum dimisit, & vlnis
 Percussit geminis pectus, trepidansq. recenti
 Vulnere concussus mentem, magno ipse vlulatu
 Impleuit tecta alta domus, dehinc talia fatur:
 An ne est ista mei dilecti vestis Ioseph?
 Pessima quem fera discerpserit, campisq. reliquit
 Exanimem? cur non eadem me tunc fera pro te
 Aggrediens mihi dente latus traiecit acuto?
 Deficiantq. oculi fletu tua funera propter,
 Et super obducta caligine destituat me
 Lux mea, tu quondam mea lux o nate senecta,
 Cura recens, viuo nec te miserande relinquam
 Ante meos obitus vitam hanc, nec vulnera possum
 Hac tua abluere his lacrymis, extremaq. labris
 Oscula ferre tuis, licuit nec condere saxo,
 Atq. aloë corpus, liquida & perfundere myrrha,
 Induere & solitis te vestibus, & comes ire
 Ad tumultum, sacri faciunt dum iussa ministri.
 Atq. heu me miserum in tenebris luctuq. relinquis:
 Quin etiam tunica hæc inecum descendet ad oras
 Infernas: etenim sine te non cernere possum
 Fulgentes Solis radios, non sidera noctis,
 Mors fuerit nato, longæuo eademq. parenti.

I O S E P H V E N D I T V S .

Egregium Ioseph forma, & florentibus annis
 Vendiderant nuper Iacob nati Ismaelitis,
 Aegypti

*Aegypti cum merce sua tendentibus oras.
 Lumina conuertit versus, qua condita longe
 Mater erat, memor illius tunc ora rigauit
 Effusis lacrymis, dicens: Mater, quæ rupe sub alta
 Iam tumultata iaces, exurge, atq. affice natum
 Ipsa tuum Ioseph, quem magno semper amore
 Dilexisti, tua donec erat tibi vita superstes:
 Atq. audi, euenit quis nunc mihi casus, & una
 Hanc desle mecum erumnam, & solare dolentem.
 Namq. ego nunc ducor tamquam prædator ad oras
 Aegypti, & fratres me mercatoribus istis
 Concessere mei pretio, velut agnus ouili
 Essem sublatu. sed quæ mihi contigit vni
 Ignorat genitor, nec adhuc peruenit ad aures
 Illius hoc facinus fratrum exitiale, ferumq.
 Infontem fratrem admissum: priuatus Iacob
 Sum patre, sic genitrix quondam tu me quoq. paruum
 Liquisti, subitam ob mortem. mea lumina fletu
 Languida sunt, lacrymarum imbræ quæ ferre valent non
 Pectore non tantos questus finisse: Ioseph
 Rumpere, ter magna puerum nisi voce vocassent
 Ismaelita illum lacrymantem funere matris.*

*Ioseph insidijs mulieris appetitus, rogat
 Deum, vt se liberet.*

P*utifarum puerum coniux ardebat Ioseph,
 Sauciaq. occultum sub pectore vulnus alebat,
 Atq. illum orabat supplex vt vellet amanti
 Respondere suo, curasq. æquare: sed ille
 Permetuens regem cæli spernebat amanti*

Illecebras, blandasq. preces, & munera, fidas
 Putifar's seruus domini, & conuersus olympi
 Sidera ad alta, Deum auxilio sic voce ciebat.
 Summe Pater qui me e fouea, fratrumq. meorum
 Eripuisti olim e manibus, & da pater & nunc
 Auxilium, viresq. mihi, roburq. animuq.
 Aduersus monstrum hoc ingens, dirumq. ferumque.
 Alme Pater, Pater alme vides quibus hæc mala tigris
 Pessisque, vt nullo frontem suffusa rubore,
 Et cum numeribus multis & cum prece multa
 Me vocet, & cum fraude petat: tu fraudibus hisce
 Objice nigrantem nubem, tantast. furores
 Illius defende preces, quos hæc fera dudum
 Concepit, versatq. nouas sub pectore fraudes.
 Illa etenim non ferre moras vult, & mihi semper
 Insidias struit, inq. suos inducere casses
 Tentat, & occulto sperat me perdere posse
 Flagitio, vt secum moriar, immerfus iniquis
 Criminibus, & degenerem a virtute paterna,
 Maiorumque: meas voces Iacob pater audi,
 Ac pro me Dominum rogita, q. i te quoq. duris
 Casibus eripuit, nec non summisq. periclis,
 Deferat vt ne me hoc bello, quod pessima mouit
 Femina me contra, sedas que oblita mariti,
 Iuraque, posse putat detritis me inuoluer e flammis.
 Hæc muliebris enim pugna est magis aspera, bellumq.
 Hoc crudele magis, quod seua hæc bellua tentat
 In me nunc, quam quod fratres inferre parabant.
 Illud enim corpus tumulo dabat, hoc sed ab ipso
 Ipsam animam patre ab eterno, certa. salute
 Diuidit, indignumq. facit caelestibus oris.

Putifaris vxor quomodo Iosephum criminata fuerit
detegit, & culpam suam fatetur.

VRbem per mediam curru Pharaonis Ioseph,
Et chlamydē intextam auro, gemmisq. gerentē,
Aegypti ornatum Regis, quem turba virorum
Armatorum ingens cingebat, vidit vt heros
Putifar, obstupuit, pallorq. per ora cucurrit
Illius: & trepidans sese in sua tecta recepit,
Attonitus nouitate rei. nam carcere claudī
Credulus ille olim, nimiumq. vxorius, ipsum
Immunem tanti sceleris mandarat Ioseph:
Vxoremq. vocans tecti in penetralibus, inquit:
Rem non credibilem dicam tibi, quam mea nunc nunc
Lumina videre, o coniux. Hebraeus Ioseph
Ille tuum ingressus thalamum, quo forte iacebas
Strata super, cupidusq. tibi vim inferre, repulsam
Est passus, clamq. effugiens vestem ille reliquit
Admissi testem sceleris, timor ingruit, & me
Vrget sollicitum, quia quondam seruus Ioseph
Præsidet Aegypto: Regis namq. ille superbo
Inuebitur curru, cinctus diademate crines,
Et chlamyde ornatus, collum & circumdatus auro,
Urbem per mediam. hunc omnes venerantur, & illi
Vt Regi assurgunt. ego cum perferre nequirem
Insignem rutilis gemmis auroq. quadrigam,
Egregiam & iuuenis faciem, subito eripui me
Primorum e cœtu tacitus. tunc conscia facti
Uxor ait: Ne forte acuat tibi cura timorem
Hæc tua, tu nunc pelle metum de corde recentem.
Ordine cuncta tibi retegam: nam me malus error

Abstulit, vt vidi prima lanugine Ioseph
 Flauentem roseas malas, plenasq. pudoris
 Virginei. sed quid dicam? labefacta repente
 Ossa per, & teneros artus noua flamma cucurrit,
 Qua me surripuit mihi tunc, haesitq. medullis.
 Ipsa fui, coniunx, crimen, thalamosq. iugales
 Posthabui infano mentem concussa furore.
 Heu quoties volui tantas extinguere flammās,
 Atq. meos alio toties auertere sensus?
 Ipsa tamen pueri magis accendebar amore.
 Ipse mali haud consors Ioseph, sed me argue culpæ:
 Parce tamen, nam vera feram, nam vera fatebor:
 Inijcere ipsa manus puero, votisq. potiri
 Cum vellem, tecti sola in penetralibus altis
 Sollicitabam animum illius, blandis modo verbis,
 Et modo muneribus: spreuit sed mœnera, nostrasq.
 Illecebras, nec me miseram miseratus amantem est,
 Implentemq. sinum lacrymis, & multa gementem.
 Surdior æqueribus namq. ille immota tenebat
 Lumina, qui solo aspectu, nutuq. dolentem
 Solari poterat, tantas & pellere curas.
 Hic nostris tandem haud lacrymis, nostrove dolore
 Euietus, roseo sic talia fudit ab ore:
 Tu mea nunc domina es, dominiq. iugalia vincla
 Rumpere connubij suades, & ledere queris
 Fœdera consortis thalami, qui me quoque nati
 Instar habet, dominumq. domus, verumq. suarum
 Constituit me, te præter? sed da mihi, quoniam
 Ipse modo facere hoc possim. mandata resoluam
 An domini? legemve Dei, patrumq. meorum
 Oblitus, scelerisq. reus sim deniq. tanti?

Desine arenosis committere semina sulcis.
 His ego sermonem abrui, vestemq. sinistra
 Illius arripui: qui tunc celeravit, amictu
 Dimisso, per longa fugam penetravia tecti.
 Ipsa fui tunc causa mali, non ipse, licet tunc
 Clamassem, & thalamū implestem clamore, domūque,
 Hæc finxi delusa nouo, & concussa dolore.
 Sicut & ipsa fui non paruula causa ruinae
 Illius, sum nunc caput & sum causa salutis.
 Per me etenim regnum ille tenet, curruq. sonantē
 Inuehitur, Regisq. loco dat iura, regitq.
 Aegypti populos læta ditione potentes.
 Et merito hunc regnis Pharaon prefecit auitis:
 In me namq. fuit tacitusque, & mitis Ioseph:
 Ille ignominia, probroq. notatus apud te
 Me propter, quod sustinuit tunc carcere cæco
 Damnatus, labem iniectam, maculamq. retexit
 Vlli non vnquam de me, nec questus iniquo est
 Flagitio. tu perge igitur cum ciuibus, & cum
 Principibus, regemq. nouum securus adora,
 Atq. rei seriem memora, & supplex pete pacem.
 Maiori nam dignus erat pœnaque, grauiq.
 Supplicio, violare ausus communia lecti
 Fœdera: sed clemens tu tantum carcere dignum
 Duxisti, non verberibus, non compede dura.

FINIS.

IN

LAVR. GAMBAERA
IN IEIUNIVM CHRISTI.

ARGVMENTVM.

Quadragenorum dierum ieiunium a Patribus institutum, originem ducere ait a Christi ieiunio; quo ipse post baptismum in locis solis laboravit.

INStituere patres sancti ieiunia quondam,
Quae Christus precepta dedit, qua Sol cadit, & qua
Tollit se, illius vestigia fida secuti:

Ipsa etenim petijt deserta, atq. inuia, perq.

Quadraginta dies totos ieiunia seruans

Vixit ibi solus inter caua saxa, ferasque,

Postquam artus sacros Iordanis tinxit in amne,

Findit Idumeos placidis qui cursibus agros,

Gemmanti Gange, atq. ipso felicior Hermo,

Ardentes quamuis auro deuoluat arenas:

Namq. suis artus meruit contingere lymphis

Illius, summa e caeli qui venerat arce,

Tu vero mea sit fragilis cum vita, meiq.

Meta incerta obitus, operum da Christe tuorum

Partem aliquam me posse sequi, pariterq. laborum.

Tuq. idem spes certa hominum, rerumq. potens Rex,

Atq. tui patris aeterni mirabile lumen,

Respice me, ANTONIQ. tui nunc dirige gressus:

Nam felix est ille, tuo quem Christe tueris

Præsidio, non qui mortales ambit honores,

Non magnas Orientis opes, auramq. potentum,

Sed ponit spem certam in te Dominoque, Deoque.

Proq. tuis in me meritis, te laudibus vnum

Prosequar

*Prosequar, vt fas est, nec erit nox vlla, diesque,
In qua non habeam meritas ante omnia grates,
Dum reget hos artus cali spirabilis aura.*

IN CHRISTI RESVRRECTIONEM.

A R G V M E N T V M .

Celebrat diem, quo Christus post patres ex inferis
eductos resurrexit: narratq. multis argumentis
Christum resurrectionem suam declarasse.

O Salue ante alias anni Ver pulchrius horas,
Dignius & vatam cantu super aethera ferris:
Humanos te ineunte etenim Deus induit artus,
Et duro occubuit ligno: victorq. sepulchro
Mane resurrexit, cum iam aduentaret Eoo
Tertia ab orbe dies. tuq. es pulcherrima, necnon
Lux celebranda pijs, licuit cui cernere victa
Morte resurgentem Christum. vos plaudite cuncti
Mortales, illum celebrent volucresque, feraeque,
Et quæ caruleis pontus fert monstra sub vndis.
Tu Sol, tuq. etiam Luna, & vos sidera, vos &
Collaudate Deum patres, quos carcere cæco
(Pœnarum tamen immunes) spatiosa tenebat
Tunc regio, & late densis obducta tenebris.

Cum vero superas remeasset Christus ad auras,
Intrauit tecti foribus penetralia clausis:
Vulneraq. ostendit ligno perpeffus in alto
Quæ fuerat socijs vndenis: & iubet illos
Tangere corporeos artus, non corporis vmbra.

illum

*illum accumbentem mensis videre loquentemq.
 Ut prius, aethereas cum cali carperet auras.
 Atq. ipsum sancta comites videre parentis:
 Credentesq. alij plures videre prius, quam
 Aet hereas cali victor conscenderet arces.*

IN ASCENSIONEM DOMINI.

.M. V. T. H. E. M. I. C. O. N. A.

A. R. G. V. M. E. N. T. V. M.

*Christus quadragesimo post resurrectione sua die,
 in monte Oliueti, cunctis videntibus discipulis,
 se in caelum sustulit, ducens secum patres, quos
 ex inferis eduxerat. describitur & ingens beato-
 rum omnium spirituum illi occurrentium laetitia.*

C*hristus ubi superas cali remeavit ad oras,
 Infernasq. domos, spoliataq. tartara liquit,
 Ille quater denos per soles fratribus olim,
 Quos primum elegit, Galileę est visus in oris,
 Celestiq. super regno admiranda locutus.
 Deinde ad Oliueti montem contendit, & omnes
 Sanguine coniunctos cara cum matre reduxit,
 Aethereas vnde ad sedes radiantis Olympi
 Ascensurus erat, mox cali in sede locandus:
 Qui iussi subito Christi mandata facessunt,
 In primisq. parens cœtu comitata piorum,
 Qui Christi fuerant vestigia sancta secuti,
 Vertebantq. graues in dulcia gaudia lactus:
 Et superant alacres vicina cacumina montis.
 Vtq. locum leti tenere, redemptor IESVS
 Effulgens radijs celestibus astitit: & se*

Ostendens

Ostendens illis sic suavi est ore locutus.

Hactenus o fratres vobiscum viuere vitam
 Fas fuit: at me nunc genitor in certa reuerti
 Regna iubet, cęliq. domos. vobis ego pacem
 Aeternam linquo ipse meam. sic factus, ab ipsa
 Confestim se tollit humo: vultumque, manusque
 Ad cęlum tendens celestes fertur in oras:
 Atq. illos linquens, illis benedixit: & omnes
 Viderunt comites ipsum supera alta perentem:
 Deuicta quę morte, poli fulgentia secum
 Astra super, summiq. vias ducebat Olympi
 Felices animas, piceo quas carcere dudum
 Aeternis regio tenebris immersa tenebat:
 Qui natum, patremq. simul per læta canebant
 Carmina: & illorum resonabat cantibus æther.

Quin etiam agnouere Deum, Dominumq. paternas
 Intra tem Christum sedes nitidissima cęli
 Agmina, & e cęlo noua lux effulsit aperto.
 Illi oculos fixos supera ad conuexa tenebant,
 Donec se Christus nebula circumdatus alba
 Digrediens terris patrias remeauit ad oras.
 Qui postquam aspexit sociorum corda recessu
 Iam turbata suo, demisit ab æthere kinos
 Sublimi subito iuuenes in vestibus albis:
 Qui pauca hæc alacres placido sint ore locuti.
 Progenies Ga' ilęa Deo dilecta, tueris
 Quę cęli æthereas intento lumine sedes,
 Qualis vitæ or ouans altum penetravit IESVS,
 Quem vos intenti in cęlum vidistis euntem:
 Sic olim in terram superis remeabit ab oris.
 His dictis, cęlum terra petiere relicta.

Parua aligeri iuuenes plausere per altum
 Aethera, & ingenti late exultauit Olympus
 Letitia: aligeriq; chori cecinere vicissim
 Ante fores sacras sublimis carmina celi:
 Fundebantq; sonos citharæ, dulcesq; querelas
 Alituum manibus percussæ, & tibia gratos
 Curua dabat sonitus, non sibila rustica: namq;
 Aduentante Deo portarum claustra patebant,
 Stellantis necnon summi spatia ignea celi,
 Quæ numquam Sol prospexit, non candida Luna:
 Sed Pater has nitidas sedes, lux ipsa, beatas
 Lumine perfundit, Solem qui fecit, & astra:
 Et circum sonuere nouis concentibus auræ. (versus,
 Hos PERENOTTE etiam mittit tibi Gambarara
 Queis Christum cecinit celum ascendisse, patresq;
 Electos olim ad tutos duxisse receptus.
 Atq; vtinam ille idem Christus stellantis easdem
 Nos vocet ad celi lætas post funera sedes.

IN DIVVM ANTONIVM ABBATEM.

ARGVMENTVM.

Duram Antonij in desertis locis vitam, diabolique
 molestias describit, exin Perenotti Cardinalis no-
 mine rogat eum, vt Deo pro se preces fundat.

ANTONI pater horrentis quondam incola eremis
 Delicijs qui contemptis, rebusq; paternis,
 Et consanguineis peristi seua ferarum

Antra

Antra puer, vili atq. aspro contentus amictu :
 Agresti, tenuiq. cibo: cui pocula lympha
 Fontis erant, nigroq. sopor mage gratus in antro,
 Quam Tyrio recubare toro, gemmisq. corusco.
 Tuq. etiam innumeras veluti fax ignea gentes.,
 Quę Christum haud norant, duxisti ad certa salutis
 Gaudia, & e tenebris ad vera lumina vita.
 Sicut deduxit sublustri in nocte columna
 Ignis ad oppositum litus, tutosq. receptus
 Hebraum populum Aegypti de sinibus olim.
 Dum vero incoleres loca senta, & inhospita eremi,
 Vicisti fraudes, fucataq. verba malorum
 Spirituum: exemplo. tuo coluere relictis
 Fascibus, & fundis homines, Aegyptia tesqua.
 Lucifer ille malus, fastuq. elatus inani,
 Vt forma insignem vidit se, dixit: In altum
 Consendam celum, & ponam super ardua summi
 Astra Patris, soliumq. meum, nomenque, nec illo
 Inferior ero, nec factis, nec viribus impar.
 Tartara sed postquam Deus illum trusit ad ima,
 Et sese tanto spoliatum vidit honore:
 Invidia, atq. odio corda est humana, dolisque,
 Ac fraude aggressus: sed non te numine Patris
 Confisum aeterni flexit terrore, minisve:
 In taurum ille licet sese, horribilemq. draconem,
 Aspidis inq. trucidis formas, vrsiq. lupiq.
 Verteret, atq. ignes effundit. et ore, nigrumq.
 Naribus e fumum, crines & serperet inter
 Flamma furens, streperetq. horrendis vocibus antrum.
 Nec non ornata genibus, auroq. puella
 Per noctem saepe in vicem sese inani: & te

Dulcibus

Parte alia aligeri iuuenes plausere per altum
 Aethera, & ingentilate exultauit Olympus
 Letitia: aligeriq; chori cecinere vicissim
 Ante fores sacras sublimis carmina celi:
 Fundebantq; sonos citharę, dulcesq; querelas
 Alituum manibus percusse, & tibia gratos
 Curua dabat sonitus, non sibila rustica: namq;
 Aduentante Deo portarum claustra patebant,
 Stellantis necne summi spatia ignea celi,
 Que numquam Sol prospexit, non candida Luna:
 Sed Pater has nitidas sedes, lux ipsa, beatas
 Lumine perfundit, Solem qui fecit, & astra:
 Et circum sonuere nouis concentibus aure. (versus,

Hos PERENOTTE etiam mittit tibi Gambara
 Queis Christum cecinit celum ascendisse, patresq;
 Electos olim ad tutos duxisse receptus.
 Atq; utinam ille, idem Christus stellantis easdem
 Nos vocet ad celi letas post funera sedes.

IN DIUVM ANTONIUM ABBATEM.

ARGUMENTVM.

Duram Antonij in desertis locis vitam; diaboliq;
 molestias describit, exin Perenotti Cardinalis no-
 mine rogat eum, vt Deo pro se preces fundat.

ANTONI pater horrentis quondam incola eremi:
 Delicijs qui contemptis, rebusq; paternis,
 Et consanguineis petisti seua ferarum

Antra

Antra puer, vili atq. aspro contentus amictu :
 Agresti, tenuiq. cibo: cui pocula lymphæ
 Fontis erant, nigroq. sopor mage gratus in antro,
 Quam Tyrio recubare toro, gemmisq. corusco.
 Tuq. etiam innumeras veluti fax ignea gentes.,
 Quæ Christum haud norant, duxisti ad certa salutis
 Gaudia, & e tenebris ad veræ lumina vitæ.
 Sicut deduxit sublustri in nocte columna
 Ignis ad oppositum litus, tutosq. receptus
 Hebraum populum Aegypti de finibus olim.
 Dum vero incoleres loca senta, & inhospita eremi,
 Vicisti fraudes, fucataq. verba malorum
 Spirituum: exemploq. tuo coluere relictiis
 Fascibus, & fundis homines, Aegyptia tesqua.
 Lucifer ille malus, fastuq. elatus inani,
 Vt forma insignem vidit se, dixit: In altum
 Consendam calum, & ponam super ardua summi
 Astra Patris, soliumq. meum, nomenque, nec illo
 Inferior ero, nec factis, nec viribus impar.
 Tartara sed postquam Deus illum trussit ad ima,
 Et sese tanto spoliatum vidit honore:
 Invidia, atq. odio corda est humana, dolisque,
 Ac fraude aggressus: sed non te numine Patris
 Confisum æterni flexit terrore, minisve:
 In taurum ille licet sese, horribilemq. draconem,
 Aspidis inq. trucidis formas, vrsiq. lupiq.
 Verteret, atq. ignes effunderet ore, nigrumq.
 Naribus e fumum, crines & serperet inter
 Flamma furens, streperetq. horrendis vocibus antrum.
 Nec non ornatæ gemmis, auroq. puella
 Per noctem saepe in faciem sese inauit: & te

Dulcibus

Dulcibus illecebris tentavi fallere frustra,
 Nunc sacram ipse oleis orno bicoloribus aram,
 Liminaq. intendo templi, postesq. superbis
 Exquilys positos lauru, myrtoq. virenti;
 Narcisso pro purpureo, calthaque, rosaque:
 Accensasq. faces teneo de more vetusto
 Ante aram supplex ego, qui te nomine reddo,
 A teneris & te veneror pater optime, & oro
 Digneris Patrem aeternum, natumq. precari,
 Ut me respiciat. sinat & me ducere vitam
 Hanc fragilem sine labe aliqua, & sine crimine, qualem
 Duxisti quondam in Pharys novus incola filius.

IN SANCTVM ALBANVM
 MARTYREM.

ARGVMENTVM.

Deus Albani ad martyrium euntis rogatu flumen
 exiccavit: quo miraculo satelles eum occisurus
 martyrij comes factus est: eiusq. percussoris oculo
 illico in terram cecidere.

ANTONI, dum tu populis das iura, sibiunt qui
 Sabethi liquidos lauces: R gisq. Philippi
 Sceptra, vicesq. subis: hoc nostro carmine factum
 Mirificum, rarumq. leges, quod contigit olim
 In terris, quas durus habet, fortisq. Britannus.
 Hesperios reget cum Maximianus iniquo
 Imperio populos longe, lateq. per oras

Occiduas

Occiduas, cades facta est crudelior, atq.
 Maior in insontes, verum qui numen adorant,
 Quàm quæ sub rigido cades commissa Nerone est:
 Namq. hæc pestis atrox sauit bisquinq. per annos.
 Huius erit belli diuisa Britannia nostris
 Littoribus testis locuples: quæ diruta fundo
 Tempia, piasq. domos mæsta illo tempore vidit.

Albanus Verolamios non vltimus inter
 Illa tempestate fuit: fundisq. paternis,
 Sanguine & insignis, qui tectis accepit auito
 Forte sacerdotem nostra de gente, timentem
 Principis insidias senis, mandataq. contra
 Edita adorantes Christum, non falsa decorum
 Numina, quæ vano gentes de more colebant.

Obscuro in thalamo hic noctesque, diesq. manebat,
 Orabatq. Deum parcus potusq. cibique.
 Cum vero Albanus ipsum vidisset in ortu
 Luciferi orantem tectis in penetralibus alti:
 Illum adiit subito admirans, supplexq. rogavit,
 Vellet vt optanti sibi pandere religionem,
 Quam tenet. ille inquit, Non hæc sine numine Patris
 Aeterni Albane eueniunt: nam Christus in oras
 Te vocat athereas, ciuemq. ascribit Olympo.

Tunc ipsum erudit diuini semina verbi,
 Monstrauitq. viam, celi quæ ducit ad arces,
 Dicens: Sperne deos, tamquam fera monstra profundæ,
 Quos colis, & frustra summo veneraris honore.

Interea latitare virum peruenit ad aures
 Iudicis Albani in tectis. mora nulla satellites
 Armatus dextra primo quatit ostia somno.
 Albanus pœnas, mortemq. subire cruentam

Pro Christo exoptans, vili se vestit amictu,
 Indutus quo pauper erat, postesq. reclusit:
 Deinde satellitibus sese obuius obtulit vltro.

Tunc illum ducunt alta ad pratoria: qui mox
 Carcere conclusus piceo, densisq. tenebris
 Innumera est illic tormenta, & verbera passus,
 Non metuens liquidum plumbum, clausosq. trabales,
 Ex ære aut cuneos, haud seui iudicis iram,
 Atq. minas; illum nam nouerat hospitio ergo
 Tot tormenta pati, quem tecto admiserat: atq.
 Indignans illum rapidi torrentis ad amnem
 Deduci iussit subituum funus acerbum.

Dumq. locum peteret, quo mortem Albanus obiret:
 Confertum aspiciens pontem (nam plurima turba,
 Cerneret vt mortem ipsius conuenerat illuc)
 Non transire valens illum: namq. hic locus vltra
 Flumen erat, fontes pœnas quo ferre solebant:
 Quod multos secum lapides, siluasq. trahebat.
 Confestim Albanus tumida haud perterritus vnda,
 Sed palmæ cupidus gressum compressit ad amnem,
 Ad calum tollens oculos, supplexq. rogauit
 Aeternum patrem, vt vellet deducere flumen,
 Quo siccis possent pedibus transire fluentia
 Turgida iam. mora nulla viri videre carentem
 Et strepitu, & cursu fluiuium, & crepitantibus vndis.

Post vbi deuenere locum, tunc ense satelles
 Acturum posito, Albanum dare qui modo leto
 Iussus erat, nouitate rei stupefactus, humi se
 Proiecit, sociumq. illi sese addidit vltro,
 Atq. fatebatur Christum solum esse colendum,
 Non Martem, Bacchum, atq. Iouē, quos ante colebat.
 Atq.

Atq. alius curuo caput abstulit ense satelles
 Albano, quem non perfundi tunc Deus illum
 Vlla letitia permisit: sed caderet cum
 Abcissum caput Albani, tunc illius vna
 In terram cecidere oculi, gladiumq. relinquens
 Corruit in terram attutum: sacroq. cruore
 Immersus frustra ille Iouem clamore vocabat:
 Non verum mundi Dominum, rerumq. parentem,
 Lapsa illi poterat qui reddere lumina solus.
 Inq. fide miles iam factus firmior, ardet
 Ingenti desiderio se subdere morti:
 Quam subijt, nuper gladio qui inferre negaras
 Albano insonti mortem, calumq. petiuit

IN CHRISTI TRANSFIGURATIONEM.

ARGUMENTVM.

Dum Christus in vertice montis Thabor Petro, Iacobo, & Ioanne presentibus oraret, eius facies Solis instar reluxit, vestimenta q. niue candidiora apparuere. tum vox summi Patris e caelo audita est, dicentis, Christum dilectum sibi filium, eumq. audiendum.

Cum per Iudæam, & felicem Christus Idumen,
 Atq. Palestinam diuini semina verbi
 Spargeret, & morbis afflictos redderet egros
 Incolumes: & spiritibus correpta malignis
 Corpora sanaret verbo, & vestigia claudis
 Aequaret solito gressu, lumen daret illi,
 Qui numquam vidit lucem, & renocaret ab oris
 Infernis homines ad caeli luminis auras,

Redderet & mutilis artus, frugumq. referret.
 Non partem exiguam verbi de semine iacto.
 Afflatus postquam diuino numine Petrus
 Ante omnes alios fuerat confessus IESVM
 Christum esse, aeternumq. aeterno patre creatum,
 Pauci abiere dies, cum Petrum Christus eundem,
 Cui Dominus cali claues promiserat vni:
 Atq. duos, quos enixa est Zebedæia coniux,
 Ad celsum duxit Thabor. sed cum iuga montis
 Ascensu aerij superassent, vertice IESVS
 Constitit, & calo palmas vtrasq. tetendit,
 Effuditq. preces magno, de more, parenti.
 Dum vero oraret, lux calo effulsit ab alto,
 Atq. infusa, nemus latebrosum clara rexit.
 Ipse autem effulgens mutato apparuit ore
 Christus, & aspectu patuit Deus: instar erat nam
 Illius facies Solis cum surgit, & alnum,
 Pulsâ nocte, diem secum vehit, & fugat astra.
 Quiq. sacrum tenuis corpus vestibat amictus,
 Scythonias candore nives antecibat, ob ipsum
 Splendorem immensum manantem e corpore Christi.
 Quin etiam gemini vates, quorum vnus ab oris
 Aegypti Hebraeum populum pede per freta sicco
 Duxit ad oppositum littus, desertaq. regna:
 Cui statuit leges: alter cui calicolum Rex
 Scire futura dedit, quem portauere quadrigæ
 Flammiferæ in nitidam sedemq. hortosq. beatos;
 Mira apparebant hic maiestate verendi.
 In medio illorum stabat sublimis IESVS.
 Dum vero inter se loquerentur de nace Christi,
 Quæq. Hierosolymis illum subeunda manerent

Tormēta infontem, dum Patris iussa facessit:
 Intenta Petrus perceperat aure magistri
 Funera dira sui: & Dominum miseratus acerbam
 Ipsius ob mortem, sic inquit: Christe manere
 Hoc nobis in monte bonum est: permitte precor te
 Tres struere aerei sedes hoc culmine montis:
 Quarum prima tibi dabitur, Mosiq. secunda,
 Tertia & Eliæ Thesbitæ cedit: & altis
 Sedibus his liceat nobis producere vitam.

Dum loquitur Petrus, celo demissa sereno
 Fulgida per tenues nubes apparuit auras,
 Mortales illorum oculos, & pectora inumbrans:
 Et subito vox est e clara reddita nube:
 Filius hic meus est, atq. indubitata propago,
 Et mihi ab aeterno semper dilectus, & in quo
 Complacui mihi. vos gentes quæ littus utrumq.
 Incolitis, ipsum hunc terris audite, nec vllum
 Vllum alium. vocem hanc tres illi hausere, metuq.
 In facies cecidere suas: nam ferre nitorem
 Ingentem nubis, sparsamq. per aera vocem
 Illorum hæc poterant sensus: dehinc ille timore
 Prostratos adiit, tetigitque, & talibus insit:

Surgite, nec pavor ulterius vos occupet vllus.
 Tunc læti surgunt oculos per cuncta ferentes,
 Lustrantesq. cæni montis latera ardua circum,
 Non vllum videre virum: sed vertice tantum
 Aerij montis Christum. dehinc Christus ab alto
 Cum tribus his vna descendens monte per umbras
 Discipulis, iussit ne quæ modo visa fuissent
 Iphis monte, palam facerent mortalibus vllis,
 Inferna donec surgens a sede rediret

Post ternos Christus Soles, & victor Auerni
Indutus spolijs superas remearet ad auras.

A R G V M E N T V M.

Precatur Deum pro sacra classe contra Turcas.

TV mecum PERENOTTE, regis qui lictus utrumq.
Ausonia, magno positum sub Rege potentis
Hesperia, Tagus auriferis quam scindit arenis,
Exequerisq. tui solers mandata Philippi:
Tendere se classis dum nostra accingit in hostem,
Ante aras effunde preces de more vetusto
Ad celi terraeq. Deum, rerumq. parentem:
Ut inuet auxilio classem, ventisq. secundis,
Augeat & nostris vires in praelia, & illos
Edoceat, dextraq. tegat, roburq. tyranni
Viribus ipse suis obtundat, & obruat vndis.
Frangantur fastus illorum, animique, nec vlla
Spes illos alat ulterius: redigantur at omnes
Ad nihilum, exiguus ceu currens rivus arenas
Per bibulas, cum Sol campos salis vrit, & aether
Fervet ob Icarium sidus, passimq. per agros
Languescunt herbae, & rimas agit arida tellus.
Innos illorum nec vulnera dirigat ensis:
Nec mortem turbatae acies, peditumq. manipuli
Effugiant miseram: sed cum bella aspera ponto
Permissent, animam expirent fluitantibus vndis.

Letitia perfunde animum PERENOTTE recenti;
Nam victi cecidere hostes, pauciq. (cruore
Aspersi tamen) ad sedes rediere paternas,
Et sua viderunt versis vota irrita rebus.

ARGUMENTVM.

Inuehitur primo in Selimum, eius arrogantiam irridens, deinde Constantinopolim nostris spolijs ditatam.

Qua tibi mens Selime fuit, postquã aquore classera
 Ionio amissam nuper, stragemq. tuorum
 Audisti? qua confusus, te posse putabas
 Non solum Adriacos fluctus, Tyrrhenaq. ponti
 Carula, & Hesperij maris aquora, sed quoq. vastos
 Cannibalum penetrare sinus, victorq. referre
 In patriam prædam ingentem, regesq. ducesq.
 Ante tuos currus, captiuos ducere: & urbem
 Per mediam, rapida quam Bosphorus alluit vnda,
 Ire inuectus equis, auro gemmisq. superbus:
 Poscere & athereos temere mortalis honores.

Namq. mare vndabat bello, atq. iniecerat atrum
 Tunc hominum terrorem animis tua barbara classis:
 Sed nunc, en quantum tua te spes vana fefellit,
 Atq. incerta vides: quoniam sic euenit illi,
 Qui numero bellantum audax spem collocat omnem
 In regnis, opibusq. suis, nec cogitat iram,
 Quam Deus in fontes, atq. in sæcla impia vertit.

Et nunc a Venetis Epiri in littoris ora
 Audisti euersas arces, fusasq. phalanges.
 Nec dubita, ipsa manus Domini fortisque, potensque,
 Quæ gentem, classemq. tuam, mox te quoq. victum
 In nostras eadem ipsa manus, Turca impie, tradet.

Tunc ira Pater accensus nomenque, genusq.
 Delebit Selime tuum: veluti per aperta

Plana

Plana lutum, valido aut pulvis dissectus ab Euro.
 Inq. tot erumnas commissa ob nostra tyranne
 Crudelis nos invidimus, quarum haud tua classis
 Causa fuit, non turme equitum, peditumq. caterue:
 Sed Deus ipse tuas, nobis iratus, in iras
 Nos miseros toties concessit, & oppida & vrbes.
 Et nunc, cum sit nos calo miseratus ab alto,
 Nec precibus nostris auertat (ceu prius) aures:
 Iras in te acuet, quas olim exercuit in nos.

Tuq. etiam tantis vrbs quondam affueta triumphis,
 Nostrorum & spolijs diues, quam nunc ferus ille
 Selimus premit imperio: tu turturis instar,
 Qua nuper thalami consortem amisit, & implet
 Flebilibus nemoris nigrantem questibus vmbra:
 Mortua nauali pugna, dissectaq. ponto,
 Et monstris laniata feris tua corpora desse:
 Et pro gemmanti palla te vestibus atris
 Indue, & obscuris lacrymans te conde tenebris,
 Tantæ insperatae cladis testata dolorem
 Insolitum, debinc letitiam, ludosq. repende
 Exactos gemitu mæsto, casuq. recenti.

Tu quoq. Christe, tuæ diuinum ob matris amorem
 In te, a te petimus, ne nos hoc tempore longa
 Confectos atate tuo sine numine linquas;
 Sed serua incolumes, donec tibi nostra placebunt
 Obsequia, & nostræ veniat meta vltima vitæ.

F I N I S.

INNOCENTVM CAEDES.
EX BASILIO SELEVCIAE
EPISCOPO.

Ad Ioannem Delphinum Brixiae Episcopum.

ARGVMENTVM.

Herodes auditis Magis, metuens regno spoliari,
misit Bethleem milites, qui omnes omnino cer-
tae aetatis infantes interficerent: impij autem mi-
lites Regis impij impia iussa impiè executi sunt.

Quod scelus Herodes animo conceperit, & quos
Ad tantum facinus peragendum miserit, audi,
Pro re Romana, pro religione labores
Cum tantos fueris passus sub frigore, & aestu,
Ob longas DELPHINE vias: & nuper honore
Sacro insignitus, quo praeside Brixia passum
Exultat, grates & agit pro munere tanto
Lata Deo: vitamq. cupit te ducere in annos
Non paucos: duce quo pecudes bona gramina tondent;
Atq. bibunt nitidos puro de fonte liquores;
Optat osq. ineunt subter nemora ardua somnos:
Quod cecini ad ridas Tiberinas accipe carmen,
Id dignum studijsq. tuis, atq. auribus etsi
Non sit, nec numerisq. fluat, nec diuite vena.
Herodes pelli Solymorum e diuite regno
Permetuens, postquam insontes disperdere crevit
In Bethleem Iudae, vicina atq. oppida circum

2 Ubera

42
 Vbera sugentes pueros: in regia iussit
 Testa duces clam militie, certosq. vocari:
 Qui subito aduenere alacres ad iussa parati,
 Iussa infanda auidi, fas admiscere, nefasque.
 Tunc Rex, nunc animis opus est, & viribus, inquit:
 Nullaq. nunc teneat mora vos: nam fama per ora
 Iudeas vulgata refert prope mœnia Bethles
 Esse nouum Regem natum, qui sceptrâ, decusq.
 Eripiet mihi. me terrent oracula vatum,
 Qui Christi cecinere ortum iam tempore multo.
 Quin etiam Eois vidi e regionibus huc tres
 Aduenisse viros, his sedibus exquirentes
 Infantem nuper natum, Bethleemq. petisse,
 Ut puerum flexo venerentur poplite Regem.
 Ex quibus ortum ipsum Regis didicisse volebam,
 Ut nostra caderet dextra puer ille: sed illi
 Non vltra rediere viri. vos soluite tanto
 Me terrore duces, vosq. armis incluta pubes
 Promite nunc vestras e forti pectore vires.
 Ite citi, puerosq. omnes absumite ferro
 Lactentes: ipsosq. etiam superate parentes,
 Si sua forte ausint subducere pignora morti.
 Non pietas, non vllus amor, non dona, humilescve
 Vos flectant, moucant ve preces: miscete cruorem
 Effusum teneri infantis cum lacte parentum.
 Istorum infantum nullus superet que, nec vllus
 Vitales curas carpat; nullusq. cruentam
 Effugiat mortem. sic hic meus hostis acerbo,
 Quem metuo, interitu occumbet, vitamq. relinquet:
 Sic egome tantis exoluam deniq. curis,
 Laxabitq. animum strages noua. vos mihi porro

Securum ipsi animum præstabit. hæc ubi dixit
 Ille ferox; tunc hi tardis non passibus urbem
 Regalem ingressi Bethleem, vicinaq. circum
 Oppida, cædebant quæq. obuia pignora matrum
 Lugentium, largo madefactaq. terra cruore est
 Lubrica, nec quis poterat tunc sistere gressus
 In triuijs: quin tectorum in penetralibus ipsos,
 Tamquam hostes, pueros quærebat miles, & alter
 Miscebat pueri lactis cum matre cruorem,
 Transadigens ferro maternum pectus acuto.
 Mœrentes aliæ, manibus quæ forte premebant
 Infantum membra, illa eadem diuisa tenebant
 Crura, pedesque: ferus nam brachia miles habebat.
 Illa fugam celerans nota ad diuortia, natum
 Mœsta sinu portans, in corpora trunca ruebat,
 Atq. cadens puerum saxo illidebat acuto.
 Infans siue aliquis sub tecto forte latebat,
 Proditus ipsius vagitu, sedibus illum
 Deturbabat atrox subiecta in saxa satelles.
 Haud secus irruere in pueros, quàm turba luporum
 In pecudes sparsas siluis, dum gramina tondent.
 Et vestes matrum, & puerorum sanguine cunas
 Sparsere: intepuit tellus, ensisq. cruore.

Postquam optatum habuit cades hæc impia finem
 Herodis sæui, mox illatibilis urbem
 Confusam Bethleem sublatus ad athera clamor
 Turbavit: trepidi natos deslere parentes,
 Et fratres lugere suos, quos hauserat ensis
 Innocuos: gemitumq. dabat mœstissima mater:
 Clamabant palam cuncti per compita passim,
 Numquam tale senes facinus vidisse, nec vquam

Auditum tale excidium: lacrymisq. vicissim
 Lumina perfusi, natorum membra, nepotumve,
 Aut fratrum trunca in truijs, domibusve legebant,
 Atq. dabant tumulis, Herodi dira precantes.

Seu quis luminibus siccis memorabit acerbam
 Temporis illius cladem, immanisq. tyranni
 Sauitiam? nam cum mater daret vbera nato,
 Illa sui infantis tingeat sanguine, & vno
 Sæpe ictu gladij miles puerum atq. parentem
 Prosternebat humi, & matris, natiq. fluebat
 Permixtus cruor in terram, milesq. ruebat
 In puerum toruum aspiciens, læuaq. premebat
 Semianimem infantem; mucronem dextra tenebat
 Districtum: mater dicebat, Me pete ferro,
 Me prius, afficiam ne nati funus acerbum.
 Tantus amor cædis fuit his, tam dira cupido.

Herodes vitam regni securus agebat,
 Ob cædem nuper factam, velut hoste perempto
 Duceret insignes victor media vrbe triumphos.
 At Deus omnipotens patrati criminis vltor
 Morbum illi seuum immisit, quo victus in auras
 Indignantem animam per fracto viscere fudit:
 At pueros Abrabe in gremio, requieq. locauit.

Quid tibi quæso animi Herodes furibunde fuit tunc,
 Ipse Magis cum dixisti, te velle potentem.
 Suppliciter flexo venerari poplite Regem?
 Et tua calliditas facile est detecta, dolusq.
 Iste tuus, cum tu iussisti perdere ferro
 Vbera sugentes pueros: cladesque, cruorq.
 Illorum effusus terram super, arguit altam
 Sauitiam, scelerate, tuo quæ corde latebat.

Non etenim venere Magi de partibus Indis,
 Vt puero dent dona tuo regalia, que non
 Illi conueniunt, quamuis sit regia proles
 Filius iste tuus. tuq. hunc deponere timorem,
 Atq. hanc curam animo: tuus hic puer haud erit heres,
 Successorq. tui regni, scelerate, times quem
 Regnaturum olim his terris te Rege subacto.
 Non terrena rapit, qui dat cęlestia regna.
 Dic mihi, quę te pœna manet sœuissime regunt
 In pueros ausum infantes distringere ferrum,
 In matresq. ipsas, si quę se opponere tentent,
 Pro natisq. velint vitam exhalare cruentam.

IN SANCTVM IOB.

Ad Vincentium Stellā Brixianum Iuriconsultum.

ARGVMENTVM.

Sancti Iob patientiam celebrat, animique constan-
 tiam, quippe qui rebus omnibus amissis, filiis
 domus ruina oppressis, totoque corpore sanie
 fluenti, Deum semper laudauit.

Diuēs agri, & pecoris diuēs, simplexque, Deumque
 Iob metuens, rectusque, atq. inter primos Eoos
 Sanguine, & egregia natorum prole suorum,
 Vt sensit cladem illorum, rerumq. ruinam:
 Ad terram tacitus confestim corrui, & sic
 Pronus adorauit celi terręq. parentem:
 Atq. animum tanto casu non turbidus infit.
 Sum nudus matre egressus, nudusq. reuertar
 In terram putrem: Dominus dedit hos mihi natos,
 Abstulit hos idem Dominus: sic deniq. factum est,

D 3 Vt

Ut rerum Domino placuit. laudabile semper
 Sit sanctum Domini nomen. sed post ubi morbo
 Informi Iob est percussus ab hoste maligno:
 Tunc thalami consors illi insultabat amaris
 Vocibus, aspiciensq. illum taboq. fluentem,
 Et sanie oppletum immunda, sic inquit: an in te
 Simpli. itas tua perstat adhuc, o credule coniux.
 Nunc morere, atq. Deo benedic. tunc subiicit ille:
 Tu veluti stulta hac loqueris: si tot bona nobis
 Nunc amissa Deus concessit munere quondam,
 Cur non equo animo patimur mala, dura licet sint?
 Omnibus his Iob grumnis, tantiq. nefandam
 Haud culpam admisit, peccando nec sibi fecit
 Iratum, insensumq. Deum verba impia fundens.

Carmine te hoc nostro silari Stella volebam
 Iob iusti exemplo, postquam peruenit ad aures
 Fama meas, natos vrbis duo lumina nostrę
 Occubuisse tuos morti, ac te dira tulisse
 Funera non fractumq. animo, nec viribus ullis
 Exhaustum, quamuis premeret te tarda senectus.
 Communisq. dolor patrię, patria q. procella
 Pestis inundantis, virides ceu Nilus in agros.
 Percipiens equidem miror, miratur & omnis
 Brixia, tot casus inter tua pectora vinci
 Nescia, nec cessisse malis: cunctiq. recentem
 Ob plagam hanc faciem mutatum, aut ora fatentur.
 Te fletum surgens sidus non vidit Eoum,
 Nec fletu perfusa nouo tua lumina Vesper.
 Perge sequi mandata Dei, mi Stella, velisq.
 Quod voluit Pater omnipotens, ac pectore serua
 Perpetuo Iob in rebus qua dixit egeris.

POEMATA SACRA. 47.
IN SANCTVM PAVLVM
APOSTOLVM.

*Ad Federicum Ranaldum Bibliotheca
Vaticanae custodem.*

ARGVMENTVM.

Narrat quomodo Paulus ab impietate ad Christum
sit conuersus, quanta pro eo passus sit, quot regio-
nes peragrauerit Christianam pietatem docendo:
quodq. tandem Romæ cum Petro sub Nerone
martyrij palmam adeptus sit.

S Criptores Latios, Graiumq. volumina dum tu
Euoluis Federice, leges Ranalde pericla,
Et vitam Pauli breuiter, quam mittimus ad te
Dum patrias colis ipse oras, qua currit Aternus,
Adriacosq. sinus vitreo cum flumine tendit,
Et tua culta rigat Radiani ad mœnia parui.

Dum peteret Saulus multis comitantibus urbem
Quæ prima est Syria, diuesque, opulentaq. rerum,
Ore vomens rabiem, spiransq. inmane, minansque,
Ceus lupus in sacrum Domini, vel tigris ouile:
Ad subitam Christi vocem mansuetior agno
Euasit, cum lux calo demissa sereno
Circumscepit eum, & stravit, lumenq. repente
Occidit, atq. oculorum aciem obduxere tenebræ.
Quique prius Christi fuerat cultoribus hostis
Hostis atrox, tinctasq. manus infantis haberet
Sanguine: dehinc sancto pro Christi nomine pœnas

*Viuens sustinuit varias, & deniq. mille,
Diuersosq. etiam terra, pelagoq. labores:
Obrutus & saxis, ponto & ter naufragus alto,
Atq. ignominiam passus, tergoq. flagella.*

*Salue Paule pater, prisco tibi nullus ab aeo
Sanctorum eloquio certauerit: omnia cedant
Sæcula, quæ fuerunt, & erunt venientibus annis.
Nil equidem mortale sonas, dum tu ora resoluis,
Aurea diffundens diuini semina verbi.*

*Tuq. Deum spirans, diuino & numine raptus
Tertium ad æthereum calum, sedesq. beatas,
Audisti, mortali vlli quod dicere non est.
Iudeasq. tuis terres sermonibus vrbes,
Et referas illis sacrorum oracula patrum,
Et Christum aduenisse pijs iam patribus olim
Promissum memoras fora per, per templa, domosque.*

*Tuq. Asia terras peragrasti, & Persidis oras,
Atq. Arabi, Hispanosq. situs, Cypruque, Rhoduque.*

*Ipse & adorantes ignotum numen Athenas,
Atq. Ephesum tu tendis iter, & Thessala tecta:
Iussa docens populo summi patris ore deserto.*

*Est tua per varios casus exercita virtus:
Et tandem in Latium ductus, quo sæua tenebat
Sceptra Nero, gladio occumbis sub Casare eodem,
Vno eodemq. die, nec non illa vrbe pependit
In cruce qua Petrus: cui soli Christus alendas
Ipse suas mandarat oues, dum spargitis ambo
Romulidum populo diuini semina verbi.*

*Tuq. roga Patrem aeternum, concedat vt olim
Iam cursu vite exacto, ad sublimia celi
Atria detur iter nobis, sedesq. piorum.*

DE PELINI VITA.

Ad Marinum Ranaldum.

ARGUMENTVM.

Pelinus audiens Iuliani Imperatoris in Christianos
 sæuitiam, Dyrracchio patria relicta Brundisium
 petijt: vbi Episcopus creatus est. Deinde Iuliani
 iussu Romam profectum Cornicularius Præses
 inde vinctum Corfinium duxit. cumque ab eo
 Marti sacrificare iuberetur, fusa ad Deum prece
 iussit satanæ, vt & Martis statuam frangeret, &
 templum dirueret: quo corridente multi, & in
 iis Præses, oppressi sunt. Hoc viso Martis sacer-
 dotes ira perciti, eum verberibus prius cæsum,
 vulneribus confecerunt.

Pelinus proavisq. potens, & diuite censu,
 Quas possedit opes cunctas diuisit egenis,
 Factus inops terris, calo ditissimus alto,
 Acceptusq. Deo, dum vitam hanc viueret, idem
 Post obitum summo est ciuis transcriptus Olympo:
 Et rerum summam obtinuit, Romanaq. sceptrâ
 Iulianus Christi desertor; iussit vt omnes
 Per terras colerent gentes simulacra Deorum
 Turpia, quæ magnus dudum vndiq. Constantinus
 Sustulerat, fixa & venerari lege vetarat:
 Dyrracchium liquit patriam subito, hoc vbi sensit
 Pelinus, non ferre volens hæc impia iussa:
 Atq. tribus socijs comitatus venit ad vrberem

Brundusij, Adriacos sulcans placido equore fluctus.
 Miro Pelinum populus decorauit honore.
 Debinc vrbis factus Praesul, rectorq. sacrorum,
 Religionis erat summus defensor, & aras,
 Vanaq. temnebat falsorum numina diuum.
 Duceret & magna cum Cornicularius vrbe
 (Ad quam Iuliani accitu deuenerat vltro)
 Corfini ad sedes deuinctum colla, manusq.
 Ferro Pelinum rigido, iussisset, & ante
 Urbem ipsam populum Marti facere impia sacra:
 Talibus aggreditur Pelinum Praeses, & inquit:
 Nunc socys Peline tuisque, tuaeq. saluti
 Consule, Mauortiq. Deo fer sacra, libensq.
 Accede ad positas aras. tunc subiicit ille,
 Quem vestra fecere manus, non hunc ego Martem
 Turicremus vnquam supplex venerabor acerris.
 Non ego saxa colo, non aes, fuluumve metallum,
 Ficta quibus sunt ducta Deum tot numina, & aris
 Imposita, haec tanto qua vos celebratis honore.
 Lumina habet, naresque, auresq. haec Martis imago,
 Atq. pedes, atq. ora, manusque, & non tamen illa
 Marmorea effigies cernit, loquiturve, nec audit,
 Inteditve, mouetve manus, nec sentit odorem.
 Ipse Deum veneror viuum, qui regnat in oris
 Aethereis. Praeses tunc ira accensus amara
 Talibus infremuit dictis; furibundus in oris
 Ceu leo Massylis capream cum rupe latentem
 Conspexit, nec adire audet saxa ardua propter,
 Ascensuq. locum haud facilem. tunc turbidus inquit:
 Per caput hoc tibi nunc iuro, magniq. salutem
 Caesaris ipse hodie nolisve velisve Gradino

Thura dabis; vel eris Peline leonibus esca.
 Tunc ille oravit subito sua lumina vertens
 Talibus ad cælum: Tu qui me linquere numquam es
 Rebus in extremis suetus pater optime, da nunc
 Auxilium, vt cernat gens hæc incredula & exlex,
 In terris tua sit qualis, cæloq; potestas.
 Debinc satanæ, qui sub simulacro ex ære latebat,
 Iussit vt accelerans exiret imagine falsa,
 Frangeret, & statuam, simul atq; euerteret adem
 Funditus insignem ornatu. mora nulla columna;
 Et templi cecidere fores, & corruit ingens
 Moles: pulsa foret validis ceu flatibus Euri,
 Fulminibusve polo missis, subit æve ruina.
 Oppressit multos operosa hæc machina ciues
 Dum caderet: sed Pontifices quibus vnica templi
 Cura erat, & sociorum vmbra, vmbra q; precepti
 Præsidis vlcisci ardebant, stragemq; recentem:
 Astutumq; manus illi iniecere neganti
 Esse Deum Martem, atq; alios, quos turbâ colebat,
 Spirituum decepta dolis, & fraude nocentum.
 Pelinus tandem cecidit percussus acerbis
 Vuneribus, virgisque, tulit quæ haud territus ante
 Mortem ipsam, inuictusq; animi licet accelerans mors
 Instaret, gelidos vita & iam linqueret artus.
 Exitus hic felix Pelini, & vita Marine:
 Cui circum indigenæ gentes fecere sepulchrum
 Tanario structum e saxo, templumq; dicarunt
 Illi ingens, donisq; opulentum, & numine Patri
 Aeterni positum Pelig: is sedibus olim,
 Nomine Pelini qui nunc dicuntur ab ipso:
 Hic vbi erant quondam Corsini mœnia magna

Peligna

Peligna gentis caput vrbs tunc maxima, nunc que
 Diruta, & apparent vestigia magna ruina:
 In quibus est edes celeberrima dicta Pelino,
 Vt *nam circum multa, & vicina frequentant*
 Opt. *& innumeris onerant altaria donis.*
 Felices vos indigena, queis contigit olim
 Aetheream his terris tanto sub praside lucem
 Haurire, atq. illi meritos decernere honores,
 Et canere illius non vno carmine laudes:
 Liquerit vt patriam sub prima etate, paternis
 Posthabitis tot sponte opibus, caramq. parentem,
 Vt sancta innumeros pro religione labores
 Pertulerit: quem Iuliani non verba, miniq.
 Flexerunt, quem non mors aspera terruit vnquam:
 Ut verbo structam Marti dissecerit adem,
 Fecerit vtq. inter miracula plurima gentes:
 Tu nostra fidei cultor pater inclyte salve,
 Ferq. preces nostras summi omnipotentis ad aures,
 Testa suo vt sit sub clypeo Ranalda propago.
 Tuq. decus patrie clarum, Federice, tuaq.
 Cen nridum lumen Renaldę gentis, & ingens
 Presidium, columnenq. velut grauis anchora, que cum
 Iacta mari tumido est, tutatur dente carinam
 Incuruo, pelagiq. minas non horret, & estus,
 Littoraq. abrupto plangentes sidere ventos.

SANCTI PELINI MIRACVLVM.

Ad Dominicum Ranaldum.

A R G V M E N T V M.

Mulier cæca audiens Pelinum miraculis clarum,
 eius templum adire decreuit, dumq. iret paula-
 tim caligo ex oculis recedebat: tandem cum in
 eius templo post Sacrum Eucharistiam sumpsis-
 set, confestim clara luce uti cœpit.

Dominice egregiam super omnes dum colis urbem,
 Quam vetus intortis interluit Albula lymphis,
 Et vigil euoluis sacrata volumina legum,
 Audi oro Ranalde tuis quod contigit oris,
 Flumine quas gelidus procuruo scindit Aternus.
 Tu quoq. nam condis cultum & memorabile carmen,
 Firma tibi nondum quamuis aduenerit ætas.
 Cæca oculos quondam mulier pauperque, Theano
 Quam genuit posita in Sidicinis inclyta terris,
 Audiuit postquam miracula nota per oras
 Pelini Ausonias: oculis se cernere posse
 Certam animo spem concepit, patriamq. reliquit
 Consurgens stratis, cum lux albescere ab oris
 Aurora inciperet, nitidoq. retexeret ortu
 Clara suo celi spatium, terrasq. patentes.
 Quid dicam? magna hanc tenuit fiducia, tanto
 Curari morbo precibus meritisq. Pelini
 Se posse, æternoq. Patri debere salutem.
 Atq. iter arripuit subito, non territa longam
 Ire viam, dubitans casus nec adire frequentes.

Sed

Sed loca per dum ferret iter satis aspera, molemq.
 Et montes pedibus nato comitante; genas cui
 Vestibat teneras primæ lanuginis etas,
 Per tenebras veluti visa est se cernere natum,
 Qui dextra leuam matris de more tenebat,
 Et sese est sperire procul via visa; locumq.
 Optatum, quanto mulier magis accedebat,
 Hæc tanto magis hauribat lucemq. diemque.
 Mox ingens templum Pelini ingressa, precesq.
 Dum fundit, caligo oculis obducta precanti
 Illa recedebat sensim, lumenq. redibat
 Paulatim: veluti in teneras vigor humidus herbas
 In nemorumq. solet frondes, cum terra recentem
 Ob partum ridet formosi Veris in ortu,
 Dum picturatos spectat sua pignora flores;
 Et veluti cum mane nouo Sol aureus omne
 Obductum tenebris immissa luce serenat
 Cælumque, & pelagi tractus, terrasq. patentes.
 Pelini at postquam pia sacra audiuit ad aram,
 Et Christi corpus sacratum sumpsit, ibi omnes
 Aëturum ex oculis tenebræ fugere, recepitq.
 Amissum subito lumen, rerumq. parenti
 Immensas egit grates, pariterq. Pelino.
 Venerat & duce quæ nato & sine luminis vsu,
 Ipsa videns, non vsa duce, ad se læta reuertit.

IN TOBIAM.

Ad Simeonem Gugnetum Metensem.

ARGUMENTUM.

Narrat Tobie in Deum pietatem, in cohortandis ad virtutem fratribus, eorumque inopia subleuanda, atque in sepeliendis mortuis benignitatem: quodque ne Regis quidem minis à bonis operibus deterritus sit.


TV Gugnete etiam, quo non est inter amicos
Præcipuos nec candidior, nec certior alter,
Sis nostri memor interdum, me Brixia quamuis
A te detineat longeque, & dulcibus olim
Colloquijs, dum tu referebas ordine nodos
Difficiles sacra legis, decretaq. patrum,
Quæ genus e densis tollunt mortale tenebris
In nitidum cali lumen, sedesq. piorum.

TOBIAS assuetus erat puerilibus annis
Et præcepta Dei seruare, viamq. tenere,
Quæ ducit superam ad sedem stellantis Olympi.
Ipse solebat enim Hebræos inuisere semper,
Atq. iuuare opibus, tot fœtaq. spernere sacra,
Ex vitulos templo positos; quos fecerat auro
Ex solido Rex Ieroboam; tendebat at urbem
Hierusalem celsam Tobias, atq. ibi sacro
In templo supplex Domino consueta ferebat
Sacra: Deus nullo Tobiam tempore liquit,

Captiuus

Captivus quamvis esset: nam principis auram
 Salmanasar subito meruit: sic iusserat ille,
 Ille sator rerum, mundi. immobilis auctor:
 Huic libertatem nam Rex concessit, & vna
 Pergere quo vellet, comitesq. inuisere captos.
 Et quamvis illum arguerent, quod conderet ipsos
 Lumine iam cassos terra, patriæ sepulchro,
 Quod Rex Sennacherib vulgata lege vetabat:
 Non tamen abstinuit sese, quin casa piorum
 Corpora multa virum tegetet tellure; silens cum
 Iam medios noctis cursus vaga Luna teneret:
 Sollicitum tamen hunc non terror regius, aut mors
 Urgebat: timor at Domini, quem corde gerebat
 Infixum totosq. dies, noctesque, nec ullam,
 Vllam aliam firmo voluebat pectore curam,
 Quam monitus, & sancta sequi mandata Tonantis.

F I N I S.



IONIDUS, & leueshana publicata propter. Dicitur prosumptione factis. C. ff. iur. ad hoc
in crim. vide Fran. Marc. q. 261. part. 2.

is se lenocinium, qui in lenocinij

men incidant, & qua pena leno-

nes peniantur, fuse explicatur per

Ludo. à Pegue, in suis quæstio. crimi.

p. 15. vide et de materia ibi. c. 44.

illegem istam de adulterio, qui

o comperto suppre, accipiunt. l. 8. ff.

ns causa.

unizantur lenones, vide in antiq. cõ-

abandix titu. de lenonibus, & D. Sol.

is comment.

De crimine incestus.

Necsum committens non nisi iner

certas personas testari potest. Vin-

cen. de Fran. decis. 27. nu. 6.

Pena incestus au fise cadit, que adul-

terij, vide Vincen. de Fran. decisio.

incestus, & quando quis existeret, vi-

in l. 1. adulterium 38. ff. ad leg. sul.

Cudens monetam si adhuc non impresserit ima-

ginem Principis, an debeat puniri pena mor-

tis naturalissimi non appareat de lido perse-

du, vel alta pena, vide Gram. decisi. 74. & Me-

noch. de Arbitra. lib. 2. cas. 316. nu. 23.

Monetam falsam cudens, aut falsificans, qua pe-

na puniatur, vide Boer. decis. 254. num. 12. Ca-

pel. Tholos. quest. 162. in additio. Vincen. de

Fran. decisio. 401. part. 2. Ludo. à Pegue. in suis

quæstio. crimin. cap. 6. Marain suo Spec. de

ordine iudic. part. 6. tit. et penentur aliquan-

do per viam inquisitionis, nu. 185.

Socij, & participes eorum, qui falsam cudunt mo-

netam eadem pena puniuntur, qua principia-

les euentes, & torqueri possunt, vt prodeat

confocios. Ludo. à Pegue. cap. 46. v. 11.

Monetam extranei Principis falsificans, quomo-

do puniatur, vide eundem Ludo. à Pegue. c.

46. nume. 15. Sed eudens sub nomine alterius

Principis, an puniatur, vide Menoch. de Arbi-

tra. lib. 2. cas. 316. nu. 26.

In hoc crimine nota sunt noranda, nempe quæ-

libet teneri ad accutandum, condemnatum


LAVRENTII
GAMBARAE

BRIXIANI

~~SACRORUM POEMATV~~
POEMATIA SACRA.

~~LIBRI DVO~~

AD ANTONIVM PERENOTTVM
Cardinalem Granuellanum.



R O M A E,
Apud Franciscum Zanettum
M D LXXXI.

7

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS



DE ABRAHAM PATRIARCHA.

Ex Gregorio Nysseno.



ARGUMENTVM.

Abraham iussus a Deo vt ipsi Isaac in holocaustū offerret : statim cum puero ad monstratum montem contendit; fortiq. animo iussa peragere parantem Deus inhibuit, ac collaudauit.



*HÆC quicquid non te lateant PERENOTTE, videbis
Sit gratus quantum æterno, acceptusq. parenti
Ille Deum qui mente colit, veneratur, amatq.*

*Ex animo; ac sancta illius mandata facessit,
Posthabuitq. Deo tot mundi regna, tot vrbes,
Atq. Hermi mixtas auro currentis arenas.
Hæc PERENOTTE legas, tibi si dabit otia forsan
Hesperia Rex extrema; quo Principe terras
Iustitia & pietas virtusq. antiqua reuisit.*

*Postquam cognatos Abraham, patriamq. reliquit,
Cælestis iussu Domini perquirere terras
Diuersas alio missus sub Sole iacentes:
De inde fame impulsus Mareotida regna petiuit,
Atq. hinc digressus depressam habitauit in Hebron*

4
LAVR. GAMBARAE
Conuallem iuxta Mambre: qua Sarra virilem
Enixa est sobolem, quamvis atate senili
Confecta, sterilis iam pridem, effœtaq. Sarra.
Nam Deus optatam sobolem promiserat illi,
Cum tres hospitio iuvenes accepit amico:
Ardua, difficilisq. etenim res omnipotenti
Esse potest nulla; ex nihilo qui cuncta creavit.
Mens sincera Abrahæ quamvis iam corda tuenti
Esset nota Deo: tamen hunc tentavit, & in re
Sensibus humanis quæ horrenda est, duraque, toti
Ipsius ut virtus magis innotesceret orbi.
Cum puer ergo Isaac teneris pubesceret annis,
Ecce Deus clamans duplicatis vocibus, Abraham
Tolle tuum natum vnigenam, quem diligis Isaac,
Atq. locum pete, quem dicam; quo vertice montis
Igne mihi totum incendes. mora nulla parat se,
Atq. operi sese accingit: dehinc sternit asellum,
Cum terra & calum nigranti obtexitur umbra.
Et geminos secum iuvenes adduxit, & vna
Ipse sequebatur non aquis passibus Isaac:
Victima iam deuota Deo, mortisq. propinque
Inscius: astitit Abraham solers, & certus eundem
Collegit ligna in nemore; atq. imponit aselli
Collectum costis fascem; superareq. montem
Abraham tendebat, veluti præceperat olli
Omnipotens genitor: sed postquam tertia lampas
Effulsit solis, lustravit & æthera, & omnes
Terrarum tractus radianti lumine, vidit
Frondosum procul ipse locum, montemq. virentem.
GRANVELLANE hominū quis nō miretur Abrahæ
Quod patris æterni intrepide sic iussu faceſſat; (mum,
Tale

Tale nihil non ore loquens, nec pectore voluens?
 Heu noua lex semper nostris contraria votis,
 Et multis cumulata malis me vexat, & angit.
 De patria cessi iussus, ciuesque, meosq.
 Sanguine coniunctos liqui; & regna extera semper
 Incolui, Patris aeterni mandata secutus.
 Quid sperare mea reges de stirpe iubebat;
 Si gladio puerum interimo? frustra mihi dixit:
 Te faciam in gentem magnam, populumque, tuumq.
 Semen erit numero, quot sunt vaga sidera caeli.
 An ne sacrum hoc dicam Sarra; quae mœsta virilem
 Progeniem optauit toties? non illa superstes
 Nato erit; at cadet ægra prius concussa recenti
 Cura animum, nati interitum ne cernere possit:
 Aut natum horribilem ad mortem comitabitur; atq.
 Concidet illo eodem, quo natus concidet ense.
 Ipsa foret nimium ab felix, si luminis auras
 Postquam hausit puer ætherias, mors atra profundum
 In somnum æternum sua lumina conclusisset.
 Ipsa Agar dilecta mihi, natusq. senectæ
 Iam lapsæ columen nostræ, roburque, decusq.
 Eripitur; & nostræ ferunt vota irrita venti:
 Quos forsā fera per siluas inuenit, & ambos
 Discerpit morsu, atq. auibus, canibusq. reliquit.
 En etiam cœu non ageret me cura, dolorq.
 Tantarum rerum expertem; nostriq. fuissent
 Iam cassi lacrymis oculi; suspiria cœu non
 Crebra nimis quæterent longo præcordia questu.
 Hac mihi fors rerum manet intentata, meumq.
 Quem rerum heredem vnigenam me linquere rebar
 Extremo hoc senij spatio; per inania caeli,

Inq. quidam Syrtis tulerunt mea gaudia Cauri,
 Non optata semel : natum nam cedere cogor,
 Atq. illum in rapidos ignes ingulare paterna
 Hac dextra. heu casus nullis auditus in oris.
 Nonne fuit satius natis caruisse, nec ullum
 Sperasse ex me me heredem, nullosq. nepotes?
 Quem genui interimam, nec me matrisque, meiq.
 Tanget amor, natiq. simul nil tale merentis?
 Nempe alius non sic afflatus numine Patris
 Aeterni, forsan corde hac dixisset amaro.
 Nam quis tam ferus est, qui non deploret amici
 Vnanimis subitum interitum, casusve sinistros?
 At non ille tamen dilecti funera nati
 Desleuit. fleuit David postquam agmina versa
 Audijt, interitum & Saulis, Ionathæq. cruentum:
 Et vestem scidit, & consperisit pulvere crines:
 Insidias quamuis illi rex sæpe parasset,
 Inferriq. necem infanti mandasset acerbam.
 Et circumstantes socij fleuere, ducesque,
 Quos secum bello insignes rex David habebat.
 Idem Absalonis desleuit funera nati,
 Qui secum infestis pugnam commiserat armis.
 Ast diuinum Abraham sermonem mente reuoluens,
 Exequitur propere summi mandata parentis.
 Ac postquam aerij conspexit culmina montis,
 Continuo hunc versus non tardis passibus ibat.
 Ut vero montis radices venit ad imas
 Substitit, & faciem non pallidus; at magis ardens
 Incæptum perrexit iter; dixitq. duobus,
 Quos secum adduxit: Vos fessi hic sistite gressus:
 Nos vero montem soli ascendemus opacum,

Atq.

*Atq. ibi adorabo diuinum numen, & ipsi
 Facta olim Domino reddam mea vota; reuertarq.
 Ad vos cum puero perfectis ordine rebus.
 Dehinc teneri imposuit nati ligna arida dorso:
 Ipse enssem incuruum dextra, lauaq. gerebat
 Semiuſtum torrem. sed dum nemora ardua ſubter
 Ambo irent taciti: blanda ſic voce parentem
 Alioquitur puer, Hircanas quæ ſlectere tigres
 Poſſet, & Eridani torrentes ſiſtere curſus,
 Ne dum hominum humanos ſenſus, animumq. paternū:
 Tu portas ignem, & gladium: ſed victima nulla eſt,
 Quæ calido tingat cultrumque, aramq. cruore.
 Dixerat, ille autem ceu ſaxum immobile ponto
 In medio poſitum, quod non veniente procella,
 Non flatu Boreæ horriſono, fluctuue mouetur,
 Sic dictis Abraham nati non ſlectitur vllis,
 Quem genuit; tanto nec frangitur ille dolore.
 Mens eadem aſt illi perſtat: nec fundit amaras
 Ex oculis lacrymas nece nati, aut turbidus ipſe eſt:
 At placide hæc reſponſa dedit: Mi nate relinquo
 Hanc ipſi curam Domino. montiſq. cacumen
 Deuenit properans, quo ſacram conſtruit aram,
 E lapide informi crebris & flatibus ignem
 Suſcitat impoſitum folijs arentibus. iſaac
 Dehinc genitor natum vinclis, & fune reuinxit,
 Et ſupra ſaſcem hunc poſiuit, veluti foret almo
 Parua bidens maſtanda patri: tacitusq. paternum
 Demiſſa ceruice iſtum expeſtabat, & acre
 Vulnus in altari poſitus: nam viderat enſem
 Sublatum patris dextra, mortemq. ſerentem.
 Saltem illum blandis verbis affatus, & illum*

Solatus foret amplexu, vultuq. paterno.
 Forte alius puero merens hæc dicta dedisset:
 Non ego nate volens, non in te percitus ira
 Id facio, quem nunc teneo, & mox sternere ferro
 Certa mihi mens est: Domini tu victima iussu es,
 Qui mare, qui terras, qui cæli condidit arces.
 Non hostem me nate tuum, sed respice patrem,
 Vllus edat nec te tacitum dolor: ipse ego tecum
 Optavi semper vitam producere, teq.
 Linqvere tot rerum heredem mi nate mearum,
 Atq. ex te genitos nostra de stirpe nepotes
 Cernere, & ante tuos obitus me linqvere semper
 Morte mea has humiles terras, condiq. sepulchro
 Ipse tuis manibus: sed cum sint cuncta supremo
 Postponenda Deo, mihi parce: atq. vltima patri
 Oscula tu interea mihi non dare nate negabis.
 Talia sed non ille animo voluebat, & vni
 Sacro erat huic tantum intentus, dextraq. tenebat
 Alte districtum gladium, læuaq. premebat
 Isaac dilectum: veluti de more sacerdos
 In sacris premere est solitus vitulumve, bidentemve.
 Isaac interea vitam gladio ipse dedisset;
 Ni foret e celso vox vertice reddita cæli,
 Atq. inclamasset duplicatis vocibus Abraham,
 Nuntius æterni Patris aliger, & dixisset:
 In puerum ne extende manum, sed contrahæ dextram:
 Victima nam tibi non deerit: tu vincula nati
 Stuppea solue tui: nunc noui te mea iussa,
 Sint ea magna licet, seruare haud pectore flecto:
 Meq. times, nam te haud nati tetigit dolor vllus
 Vngena: nec me propter tua dextra pepercit

Immerita

Immerita morti additio: tua certa voluntas
 Ista loco est pecudis mihi caesa in limine templi.
 Noluist omnipotens genitor sine caede reuerti
 In sedes Abraham Mambra. namq. ille ubi vultus
 Sustulit, aspexit vicino in vertice caprum
 Uepribus a tergo perplexum cornua densis.
 Tunc alacris se tollit humo, & letatus ad aram
 Adduxit pecudem oblatam, cui crura pedesq.
 Alligat, aeternoq. Patri pro munere grates
 Ingentes agit: ipse aries iugulo accipit ensem
 Letiferum, atq. aram spumanti sanguine tingit.
 Nati magne tui mortem non accipit Abraham
 Rerum opifex, mundo quia prorsus inutilis esset.
 Est patri aeterno dilectus filius, in quo
 Nostra salus posita est, nec non spes omnis in illo
 Humani generis. longo hic post tempore formam
 In ducet humanam, & tenues exibat in auras
 Virgineo ex utero, & Solymis habitabit in oris.
 Hic palmas ferro, atq. pedes traiectus acuto,
 Atq. latus, pœnasq. graues mortemq. subibit,
 Ut redimat mortale genus de carcere tetro,
 Et ducat nitidas caeli sublimis ad oras.
 Significabat enim sacrum hoc crudele, cruentam
 Horrendamq. necem Christi, plagasq. crucemq.

F I N I S.

Sumptum ex libello Athanasij episcopi Alexandrinae urbis de passione imaginis IESU Christi, qualiter crucifixus est in Syria, in urbe Beryso: qui citatur in septima Synodo, secunda Nicæna, actione quarta, sub Constantino iuniore, & Irene eius matre celebrata.

Petrus Nicomedia episcopus libellum hunc diui Athanasij esse scribit.

A R G V M E N T V M.

Beryti Hebræi cum Christi effigiæ tormentis omnibus quæ Christus pertulit affecissent: effluente elatere sanguine, quo morbi omnes sanabantur; ad Christi fidem conuersi sunt.

Accidit Assyriæ res hæc notissima in oris.
 Berytus posita est inter Sidonam, Tyrumque;
 Quam multi Solymæ gentis, nostræque colebant.
 Urbe domum hac magna populus Iudæus habebat:
 Qua de more preces effundere rite solebant.
 Vir iustus, metuensque Deum conduxerat ædes
 Hanc iuxta, & Christi secreta in sede locarat
 Effigiem ex ligno: sed cum migrasset ab illa
 Sede in sedem aliam; thalamo pius ille reliquit
 Oblitam effigiem: nec tu mirabere, namque
 Consilio hæc, nutuque Dei facta esse fatendum est:
 Qui quondam cæli de vertice venit, ut ipsum

Morte

Morte sua mortale genus de sede profundi.
 Tartarea exipiat; nitidis atq. inferat astris:
 Utq. bonis etiam sua tot miracula monstrat,
 Signaque, confirmetq. illos, grauiusq. malorum
 Perfidiam increpiter. mox & conduxit eandem
 Hebraeus sedem, qua liquerat ille recessu
 Suspensam obscuro effigiem: Iudaeus at ipsam
 Secreto positam in thalamo non viderat vnquam.
 Sed cum luce sacra socium in sua testâ vocasset
 Ad certos de more cibos epulasq. vetusto;
 Atq. daptes inter positas, dum multa loquuntur
 Inter se, thalamo sublustri vidit Hebraeus
 Accitus Christi effigiem, mentemq. furore
 Accensus subito ardenti, se turbidus ira
 Suscitât, atq. domum totum clamore repleuit:
 Et socium insfrendens mala iurgia iactat in ipsum;
 Fudit & in Christum conuicia plurima, & inquit:
 Abramidum cum tu genus alto a sanguine ducas,
 Inuisum hanc statuam nobis in sede remota
 Cur seruas? tunc admirans, atq. inscius hospes,
 Et iurans, se vnquam thalamo hanc vidisse negabat.
 Quid dicam? siluit malus ille, silensq. recessit,
 Primoresq. adiit gentis; queis cura sacrorum
 Credita erat, factiq. notat nil tale timentem
 Crimine iam notum a teneris, ac talibus inquit:
 Testa habitat quidam ex nostris, quae proxima sacra
 Respondent domui, solido qui ex stipite seruat
 Confectam Christi statuam in penetralibus atris,
 Quae pulchra est, & magna satis. tunc omne fremebat
 Concilium inter se, postquam cuncti hoc scelus audax
 Audiuerunt; tamen tacuit: namq. humida campos

Oceani, & terras inuoluere cœperat umbra
 Nox picea, sed non obliti cum noua lampas
 Solis ab Eoo lustrasset littore calum.
 Mane sacerdotes summo cum præside gentis
 Vicinam petiere domum: delator Hebræus
 Anteibat celerans omnes; nouus incola recti
 Intus erat, nil tale putans: qui post ubi vidit
 Hos pulsare fores; ætutum ipse reclusit:
 Ingressi, aspiciunt intus quod dixerat illis
 Delator: namq. in thalamo suspensa manebat
 Haud dubia effigies Christi: tunc protinus omnes
 Iniecere manus illi, grauibusq. vicissim
 Opprobrijs ipsum vrgebant: dehinc verbera multa,
 Sæuaq. per pessum thalamo eiecere gementem.
 Tum gens ceruicis dura, Chanaamq. propago,
 Et nobis infensa odijs, facto agmine Christi
 Deposuere solo lignum venerabile, & vna,
 Vnanimesq. serunt hæc verba infanda vicissim:
 Quandoquidem Christi fama haud obscura, leuisq.
 Ad nostras non tantum aures, sed nota per vrbes,
 Atq. etiam maris extremi peruenit ad oras:
 Atq. modis nostros varijs, verbisq. parentes
 Irrisisse olim iam passum verbera Christum,
 Nos quoq. progenies illorum, facta sequamur
 Illa eadem. mora nulla alacres illudere primum
 Cœpere huic statua, tortis & cadere loris.
 Atq. alius rabido hæc profudit pectore: Nostri
 Espinis Christi caput incinxere corona:
 Nos etiam spinis cingamus imaginis huius
 Tempora: & intactum nil nos linquamus; vt olim
 Fecerunt nostri. tandemq. hæc perfida proles,

Et genita ex Belial, perfricta & fronte, furorem
Concepit mente infrenem, saturata nec vnquam
In Christum ipsa odijs voces prorupit in illas:
Fabula non vana est; ferrata cuspide miles
Iamdudum extincti perfodit pectus IESV;
Qua dextrum latus est: addamus nos quoq. partem
Extremam hanc etiam, ne nos fecisse minus, quam
Nostri olim fecere patres dicamur inertes.
Non secus ac deprensam inter nodosa leonem
Retia; cum cingunt dextra, laeuq. molossi
Latratu, morsuq. petunt: at lata iuuentus
Venantum capto insultant, & spicula figunt
Visceribus, cum dente canes feriuntq. trahuntque:
Sparsaq. tunc circum viridis rubet herba cruore.
Quid dicam? tempus non longum effluxit, & hastam
Iussere afferri, atq. vni de gente dederunt;
Vt pectus statuæ ingenti percelleret ictu.
Qui postquam hoc facinus inflicto vulnere fecit:
Res mira, & non vnquam aliàs audita, repente
Namq. & aqua, & sanguis infando e vulnere fluxit.
In nece signa autem Domini quæcumq. fuerunt
Et visa, atq. audita palam, quo tempore celsa
In cruce pendebat mundi saluator IESVS;
Illæ eadem euenerè etiam: gentisq. minister
Aspiciens late fuscum per membra cruorem,
Atq. rei seriem, & factum miserabile, dixit:
Quem nunc finem habeat res hæc videamus; & vnam
Afferri iubet haud. paruum, lateriq. cruento
Allatam admouit, tunc qua de pectore Christus
Magnum expirabat (visu mirabile) flumen
Sanguinis. hæc cernens princeps sic farier orsus:

Hi quoniam qui sunt Christi praecepta secuti,
 Atq. colunt illum, super ipso multa susurrant:
 Quem factis supra cunctis mirantibus omnes
 Mortales iuisse ferunt, quæ secula lapsa
 Efficere haud potuerunt unquam: & dixere feramus
 Urnam hanc ad sacram sedem, ægrotosq. vocemus,
 Quos omnes hoc ungamus medicamine: nam si
 Quæ dicuntur erunt de Christo vera, repente
 Evadent morbo: si vero haud tabe levatos
 Cernemus, fient nugæ, & ludibria vulgi.
 Hydraq. altitum sacram defertur ad adem:
 Atq. sub aëria oppressos testudine morbo
 Acciri iussere: adsunt de more vocati.
 Aduenitq. senex nervos resolutus, & omni
 (Ut lucem hanc hausit) sine robore: rite sacerdos
 Primum vnxit, primusq. abiit, liquitq. grabatum:
 Atq. Deo grates lacrymis rotantibus egit.
 Luminibus captos adducunt, atq. perungunt
 Illorum cæcos oculos: qui protinus omnes
 Optatum lumen (ceu pulsa nube) receiptant.
 Firmare etiam claudi vestigia, & aures
 Surdorum audire sonos, & verba loquentum.
 Aduenere alij varijs languoribus acti;
 Quorum artes medicæ haud potuerunt tollere morbos,
 Carminare, Euboicis aut lectæ in montibus herbæ.
 Unanimes vero Isacida, ut videre tot ægros
 Omnes incolumes, Christo hæc dixere gementes:
 Credimus o tibi Christe, & te veneramur obortis
 Cum lacrymis proni in terram: quem morte cruenta
 Et turpi falso damnarunt crimine patres
 Nostri olim: nunc a nobis hanc in cruce figi

Passus es effigiem: crimen quod fecimus omnes
 Ex animo delere tuo te Christe precamur.
 Inq. viam duc nos, duce qua tua iussa sequamur.
 His dictis subito cuncti accessere ministrum
 Supremum nostræ gentis, rerumq. sacrarum,
 Et tanti huic seriem facti exposuere, & atrocis
 Criminis in Christi effigiem, veniamq. petebant
 Commissi sceleris. Præsul sermone peracto
 Illos dimisit laetos, certosq. vocavit
 Mane sacerdotes, qui sacris ritibus illos
 Instruerent, summiq. Patris mandata docerent:
 Quiq. hanc in multos Solos extendere curam
 Possent: quos omnes tinxere salubribus vndis
 Primores, nec non plebem. Antistesq. sacrauit
 Luce sacra illorum (cunctis adstantibus) ædem:
 Et Salvatoris mundi memorabile nomen
 Huic adi vnanimes cuncti imposuere vetusta:
 Et bicolore hedera, & myrto, semperq. virenti
 Alta coronarunt templi sacra limina lauro.
 Gaudia permixti communia declarabant
 Hebræi nostris, vultuque, animoq. vicissim;
 Tota exultabat Berytos maxima late
 Letitia, haud tantum propter iam libera morbo
 Corpora, & insomni cura, sed propter Auerno
 Exemptas ipsorum animas, pœnaq. perenni.

FINIS.

*Miraculum imaginis Christi crucifixi in tabula
depicta. Ex Gregorio Archiepiscopo
Turonensi.*

ARGUMENTVM.

Hebraeus tabellam, in qua Christi crucifixi imago
picta erat, e templo noctu raptam percussit, do-
mumq. detulit: illa sanguine manans Hebraei ve-
stem, & viam tinxit. Sacerdotes mane animad-
uertentes tabellam abesse, per signa sanguinis ad
Hebraei domum peruenere: qui re cognita lapi-
dibus obrutus est.

C*um sacra Hebraeus tabulam vidisset in aede,
In cruce pendentis qua Saluatoris imago
Picta erat: indignans inimico hac pectore fudit:
En solitus sermone suo seducere turbas,
Qui nostrae gentis turbo seuissimus, illam
Ceu Notus, huc illuc nigrantia per freta voluit.
Nos etiam amisso commota per aquora regno,
Quassata vt puppes ferimur, cum apparet Orion.
Dixit, & ingressus sub opaca est nocte sacellum,
Et tabulam arripuit manibus, de more tenebat
Quam clauo affixo paries prope numinis aram
Aeterni, & gladio educto ferus ille tabellam
Transfodit: mox occultans sub veste paternam
Attulit ad sedem tacitus, thalamumq. petiuit,
Cum nox & calum & terras tenebrosa teneret,
Atq. ignem cinere obductum, lignisq. retexit,
Traderet vt flammis animo indignante tabellam.*

(Horrefce)

(Hortefco id memorans) de vulnere quod firus ille
 Fecerat, erupit non copia parua cruoris:
 Ille ira accensus rabida, subitoq. furore
 Viderat haud ictum teli, nec sanguinis vndam
 Senserat ingentem; tenebras ob noctis obortæ.
 Sed postquam sparsum largo se sanguine vidit:
 Ne tantum scelus hoc hominum penetraret ad aures
 Permetuens, tabulam secreta in sede recondit,
 Ulterius non illam ausus contingere, tanto
 Attonitus factus. sed postquam lampade densas
 Dimouit noctis tenebras, lucemq. reduxit
 Claram oriens, templi subito venere ministri,
 Atq. sacerdotes facturi sueta supremo
 Sacra Patri, templumq. ingressi, & poplite flexo
 Et capite ante aram, per fracto pariete cernunt
 Ablatam furto tabulam: trepidiq. requirunt
 Per templum, atq. aras, subterq. sedilia templi.
 Mox dextra aspiciunt effusi signa cruoris:
 Nam cruor ille viam maculis signarat, & ipsum
 Detexit furem: tunc sanguine semita duxit
 Vda sacerdotes recta latronis ad adem:
 Intrañtesq. domum furem inuenere negantem
 Omnia, nec facti seriem memorare volentem:
 Iudeo at non credentes, perquirere totam
 Intentiq. vnanimesq. domum, locaq. abdita tecti:
 Quam tandem inuenere, sacrata inq. æde locarunt.
 Quidam autem ex nostris nolentem vera fateri
 Conuictum furti Hebraum, sacroq. videntes
 Sanguine concretam vestem, trepidumq. timore,
 Obruerunt multis tecti prope limina saxi.

F I N I S.

B IOSEPH

EX SERMONE DIVI EPHREM
diaconi ecclesie Ediffense de laudibus sancti
Ioseph Patriarche.

Ioseph a fratribus tunica spoliatus.

SE Ioseph tunica spoliatum vt vidit ab ipsis
 Fratribus, actutum mortē qui inferre parabant,
 Atq. illum in veterem cisternam trudere, visu
 Dirigit, nil tale putans, causam licet ille
 Nosceret inuidia atq. odij. nam somnia, quæ per
 Dulcem nocte atra vidit, gratamq. quietem,
 Germanis sepe incautus narrauerat: vnde
 Inuidiæ caput, & crimen manarat: & ille
 Prospiciens non posse manus euadere fratrum,
 Ad lacrymas, humilesq. preces se vertere. namq.
 Nullus erat, puero auxilium qui ferre supremis
 In rebus posset: supplex se, & pronus ad ipsos
 Vertit, vbi via vix voci laxata dolore est.
 O fratres tam dira in me quæ vos agit iras?
 Ponite nunc animos, auresq. aduertite vestras
 Ad me oro, nam pauca loquar. mea mater ab oris
 Concessit dudum superis: quam deflet ademptam
 Insolabiliter genitor. cur addere vultis
 Patri alias lacrymas, alia insuper & lamenta?
 Reddite me patri, atq. meas ne spernite voces.
 Ille meos reuictus noctemq. diemq. moratur:
 Vos vero patris, & vestri miserescit fratris:
 Perq. Deum vos obtestor, pariterq. parentem.

*At fratres precibus tantis non pectora flexi,
 Nomine non summi Patris, qui temperat oras
 Aethereas, quamquam ille pedes amplexus obortis
 Cum lacrymis prostratus humi, clamansq. rogaret
 Tot fratres, tamen in foueam misere vetustam,
 Et mersam tenebris late & caligine densa.*

Ioseph in cisternam proiectus quid dixerit.

Cisternam in veterem Ioseph demissus acerbo
 Cum gemitu, sortemq. suam, patrisq. dolorem
 Ingemuit, traxitq. dolens suspiria ab alto
 Pectore, & hæc lacrymans dixit: Pater aspice Iacob,
 Quæ nunc euenere mihi: misere profundam
 In foueam me me hanc fratres, nec verba precesque,
 Non lacrymæ, nomenq. tuum valere, sed agnum
 Ceu rabidi inuasere lupi, ego dum tua iussa
 Exequor, in nemoram & saltus perquirere fratres
 Incumbo huc illuc trepidus; frustra q. meos tu
 Expectas reditus, nunc sim cum carcere clausus,
 Ceu latro, solitasq. mihi non reddere voces,
 Non audire licet tibi nunc, humerisq. senectus
 Amplius haud tua tarda meis innititur, & te
 Non ultra aspicio, cum sim diuisus in annis
 His teneris a te. sed quis mihi forte columbam
 Præpetibus celerem pennis det, quæ tibi nostram
 Nuntiet aduentare necem, lucemq. supremam?
 Iusti Abelq. tu ò terra olim perfusa cruore
 Clamasti ad cali regem, Dominumq. Deumque,
 Sanguine pro effuso pueri: tu nunc quoq. clama,
 Defer & hos gemitus iam mæsti patris ad aures.

Sanguine cum nati tunicam vidisset Iacob
 Respersam multo, vultum dimisit, & vlnis
 Percussit geminis pectus, trepidansq. recenti
 Vulnere concussus mentem, magno ipse vlulatu
 Impleuit tecta alta domus, dehinc talia fatur:
 An ne est ista mei dilecti vestis Ioseph?
 Pessima quem fera discerpserit, campisq. reliquit
 Exanimem? cur non eadem me tunc fera pro te
 Aggrediens mihi dente latus traiecit acuto?
 Deficiantq. oculi fletu tua funera propter,
 Et super obducta caligine destituat me
 Lux mea, tu quondam mea lux o nate senecta,
 Cura recens, viuo nec te miserande relinquam
 Ante meos obitus vitam hanc, nec vulnera possum
 Hac tua abluere his lacrymis, extremaq. labris
 Oscula ferre tuis, licuit nec condere saxo,
 Atq. aloë corpus, liquida & perfundere myrrha,
 Induere & solitis te vestibus, & comes ire
 Ad tumultum, sacri faciunt dum iussa ministri.
 Atq. heu me miserum in tenebris luctuq. relinquis:
 Quin etiam tunica hæc inecum descendet ad oras
 Infernas: etenim sine te non cernere possum
 Fulgentes Solis radios, non sidera noctis,
 Mors fuerit nato, longæuo eademq. parenti.

IOSEPH VENDITVS.

EGregium Ioseph forma, & florentibus annis
 Vendiderant nuper Iacob nati Ismaelitis,
 Aegypti

*Aegypti cum merce sua tendentibus oras.
 Lumina conuertit versus, qua condita longe
 Mater erat, memor illius tunc ora rigauit
 Effusis lacrymis, dicens: Mater, quæ rupe sub alta
 Iam tumultata iaces, exurge, atq. affice natum
 Ipsa tuum Ioseph, quem magno semper amore
 Dilixti, tua donec erat tibi vita superstes:
 Atq. audi, euenit quis nunc mihi casus, & una
 Hanc desle mecum erumnam, & solare dolentem.
 Namq. ego nunc ducor tamquam prædator ad oras
 Aegypti, & fratres me mercatoribus istis
 Concessere mei pretio, velut agnus ouili
 Essem sublatu. sed quæ mihi contigit vni
 Ignorat genitor, nec adhuc peruenit ad aures
 Illius hoc facinus fratrum exitiale, ferumq.
 Infontem fratrem admissum: priuatus Iacob
 Sum patre, sic genitrix quondam tu me quoq. paruum
 Liquisti, subitam ob mortem. mea lumina fletu
 Languida sunt, lacrymarum imbræ quæ ferre valent non
 Pectore non tantos questus finisse: Ioseph
 Rumpere, ter magna puerum nisi voce vocassent
 Ismaelita illum lacrymantem funere matris.*

*Ioseph insidijs mulieris appetitus, rogat
 Deum, vt se liberet.*

P*utifarum puerum coniux ardebat Ioseph,
 Sauciaq. occultum sub pectore vulnus alebat,
 Atq. illum orabat supplex vt vellet amanti
 Respondere suo, curasq. æquare: sed ille
 Permetuens regem cæli spernebat amanti*

Illecebras, blandasq. preces, & munera, fidas
 Putifar's seruus domini, & conuersus olympi
 Sidera ad alta, Deum auxilio sic voce ciebat.
 Summe Pater qui me e fouea, fratrumq. meorum
 Eripuisti olim e manibus, & da pater & nunc
 Auxilium, viresq. mihi, roburq. animuq.
 Aduersus monstrum hoc ingens, dirumq. ferumque.
 Alme Pater, Pater alme vides quibus hæc mala tigris
 Pessisque, vt nullo frontem suffusa rubore,
 Et cum numeribus multis & cum prece multa
 Me vocet, & cum fraude petat: tu fraudibus hisce
 Objice nigrantem nubem, tantast. furores
 Illius defende preces, quos hæc fera dudum
 Concepit, versatq. nouas sub pectore fraudes.
 Illa etenim non ferre moras vult, & mihi semper
 Insidias struit, inq. suos inducere casses
 Tentat, & occulto sperat me perdere posse
 Flagitio, vt secum moriar, immerfus iniquis
 Criminibus, & degenerem a virtute paterna,
 Maiorumque: meas voces Iacob pater audi,
 Ac pro me Dominum rogitā, q. i te quoq. duris
 Casibus eripuit, nec non summisq. periclis,
 Deferat vt ne me hoc bello, quod pessima mouit
 Femina me contra, sedas que oblita mariti,
 Iuraque, posse putat detritis me inuoluerē flammis.
 Hæc muliebris enim pugna est magis aspera, bellumq.
 Hoc crudele magis, quod seua hæc bellua tentat
 In me nunc, quam quod fratres inferre parabant.
 Illud enim corpus tumulo dabat, hoc sed ab ipso
 Ipsam animam patre ab eterno, certa. salute
 Diuidit, indignumq. facit caelestibus oris.

Putifaris vxor quomodo Iosephum criminata fuerit
detegit, & culpam suam fatetur.

VRbem per mediam curru Pharaonis Ioseph,
Et chlamydē intextam auro, gemmisq. gerentē,
Aegypti ornatum Regis, quem turba virorum
Armatorum ingens cingebat, vidit vt heros
Putifar, obstupuit, pallorq. per ora cucurrit
Illius: & trepidans sese in sua tecta recepit,
Attonitus nouitate rei. nam carcere claudī
Credulus ille olim, nimiumq. vxorius, ipsum
Immunem tanti sceleris mandarat Ioseph:
Vxoremq. vocans tecti in penetralibus, inquit:
Rem non credibilem dicam tibi, quam mea nunc nunc
Lumina videre, o coniux. Hebraeus Ioseph
Ille tuum ingressus thalamum, quo forte iacebas
Strata super, cupidusq. tibi vim inferre, repulsam
Est passus, clamq. effugiens vestem ille reliquit
Admissi testem sceleris, timor ingruit, & me
Vrget sollicitum, quia quondam seruus Ioseph
Præsidet Aegypto: Regis namq. ille superbo
Inuebitur curru, cinctus diademate crines,
Et chlamyde ornatus, collum & circumdatus auro,
Urbem per mediam. hunc omnes venerantur, & illi
Vt Regi assurgunt. ego cum perferre nequirem
Insignem rutilis gemmis auroq. quadrigam,
Egregiam & iuuenis faciem, subito eripui me
Primorum e cœtu tacitus. tunc conscia facti
Uxor ait: Ne forte acuat tibi cura timorem
Hæc tua, tu nunc pelle metum de corde recentem.
Ordine cuncta tibi retegam: nam me malus error

Abstulit, vt vidi prima lanugine Ioseph
 Flauentem roseas malas, plenasq. pudoris
 Virginei. sed quid dicam? labefacta repente
 Ossa per, & teneros artus noua flamma cucurrit,
 Qua me surripuit mihi tunc, haesitq. medullis.
 Ipsa fui, coniunx, crimen, thalamosq. iugales
 Posthabui infano mentem concussa furore.
 Heu quoties volui tantas extinguere flammās,
 Atq. meos alio toties auertere sensus?
 Ipsa tamen pueri magis accendebar amore.
 Ipse mali haud consors Ioseph, sed me argue culpæ:
 Parce tamen, nam vera feram, nam vera fatebor:
 Inijcere ipsa manus puero, votisq. potiri
 Cum vellem, tecti sola in penetralibus altis
 Sollicitabam animum illius, blandis modo verbis,
 Et modo muneribus: spreuit sed mœnera, nostrasq.
 Illecebras, nec me miseram miseratus amantem est,
 Implentemq. sinum lacrymis, & multa gementem.
 Surdior æqueribus namq. ille immota tenebat
 Lumina, qui solo aspectu, nutuq. dolentem
 Solari poterat, tantas & pellere curas.
 Hic nostris tandem haud lacrymis, nostrove dolore
 Euietus, roseo sic talia fudit ab ore:
 Tu mea nunc domina es, dominiq. iugalia vincla
 Rumpere connubij suades, & ledere queris
 Fœdera consortis thalami, qui me quoque nati
 Instar habet, dominumq. domus, verumq. suarum
 Constituit me, te præter? sed da mihi, quoniam
 Ipse modo facere hoc possim. mandata resoluam
 An domini? legemve Dei, patrumq. meorum
 Oblitus, scelerisq. reus sim deniq. tanti?

Desine arenosis committere semina sulcis.
 His ego sermonem abrui, vestemq. sinistra
 Illius arripui: qui tunc celeravit, amictu
 Dimisso, per longa fugam penetravia tecti.
 Ipsa fui tunc causa mali, non ipse, licet tunc
 Clamassem, & thalamū implestem clamore, domūque,
 Hæc finxi delusa novo, & concussa dolore.
 Sicut & ipsa fui non paruula causa ruinae
 Illius, sum nunc caput & sum causa salutis.
 Per me etenim regnum ille tenet, curruq. sonantē
 Inuehitur, Regisq. loco dat iura, regitq.
 Aegypti populos læta ditione potentes.
 Et merito hunc regnis Pharaon prefecit auitis:
 In me namq. fuit tacitusque, & mitis Ioseph:
 Ille ignominia, probroq. notatus apud te
 Me propter, quod sustinuit tunc carcere cæco
 Damnatus, labem iniectam, maculamq. retexit
 Vlli non vnquam de me, nec questus iniquo est
 Flagitio. tu perge igitur cum ciuibus, & cum
 Principibus, regemq. nouum securus adora,
 Atq. rei seriem memora, & supplex pete pacem.
 Maiori nam dignus erat pœnaque, grauiq.
 Supplicio, violare ausus communia lecti
 Fœdera: sed clemens tu tantum carcere dignum
 Duxisti, non verberibus, non compede dura.

FINIS.

IN

LAVR. GAMBAERA
IN IEIUNIVM CHRISTI.

ARGVMENTVM.

Quadragenorum dierum ieiunium a Patribus institutum, originem ducere ait a Christi ieiunio; quo ipse post baptismum in locis solis laboravit.

INStituere patres sancti ieiunia quondam,
Quae Christus precepta dedit, qua Sol cadit, & qua
Tollit se, illius vestigia fida secuti:
Ipse etenim petijt deserta, atq. inuia, perq.
Quadraginta dies totos ieiunia seruans
Vixit ibi solus inter caua saxa, ferasque,
Postquam artus sacros Iordanis tinxit in amne,
Findit Idumeos placidis qui cursibus agros,
Gemmanti Gange, atq. ipso felicior Hermo,
Ardentes quamuis auro deuoluat arenas:
Namq. suis artus meruit contingere lymphis
Illius, summa e caeli qui venerat arce,
Tu vero mea sit fragilis cum vita, meiq.
Meta incerta obitus, operum da Christe tuorum
Partem aliquam me posse sequi, pariterq. laborum.
Tuq. idem spes certa hominum, rerumq. potens Rex,
Atq. tui patris aeterni mirabile lumen,
Respice me, ANTONIQ. tui nunc dirige gressus:
Nam felix est ille, tuo quem Christe tueris
Praesidio, non qui mortales ambit honores,
Non magnas Orientis opes, auramq. potentum,
Sed ponit spem certam in te Dominoque, Deoque.
Proq. tuis in me meritis, te laudibus vnum

Prosequar

*Prosequar, vt fas est, nec erit nox vlla, diesque,
In qua non habeam meritas ante omnia grates,
Dum reget hos artus cali spirabilis aura.*

IN CHRISTI RESVRRECTIONEM.

A R G V M E N T V M .

Celebrat diem, quo Christus post patres ex inferis
eductos resurrexit: narratq. multis argumentis
Christum resurrectionem suam declarasse.

O Salue ante alias anni Ver pulchrius horas,
Dignius & vatam cantu super aethera ferris:
Humanos te ineunte etenim Deus induit artus,
Et duro occubuit ligno: victorq. sepulchro
Mane resurrexit, cum iam aduentaret Eoo
Tertia ab orbe dies. tuq. es pulcherrima, necnon
Lux celebranda pijs, licuit cui cernere victa
Morte resurgentem Christum. vos plaudite cuncti
Mortales, illum celebrent volucresque, feraeque,
Et quæ caruleis pontus fert monstra sub vndis.
Tu Sol, tuq. etiam Luna, & vos sidera, vos &
Collaudate Deum patres, quos carcere cæco
(Pœnarum tamen immunes) spatiosa tenebat
Tunc regio, & late densis obducta tenebris.

Cum vero superas remeasset Christus ad auras,
Intrauit tecti foribus penetralia clausis:
Vulneraq. ostendit ligno perpeffus in alto
Quæ fuerat socijs vndenis: & iubet illos
Tangere corporeos artus, non corporis vmbra.

illum

*illum accumbentem mensis videre loquentemq.
 Ut prius, aethereas cum cali carperet auras.
 Atq. ipsum sancta comites videre parentis:
 Credentesq. alij plures videre prius, quam
 Aethereas cali victor conscenderet arces.*

IN ASCENSIONEM DOMINI.

.M. V. T. H. E. M. I. C. O. N. A.

A. R. G. V. M. E. N. T. V. M.

*Christus quadragesimo post resurrectione sua die,
 in monte Oliueti, cunctis videntibus discipulis,
 se in caelum sustulit, ducens secum patres, quos
 ex inferis eduxerat. describitur & ingens beato-
 rum omnium spirituum illi occurrentium laetitia.*

C*hristus ubi superas cali remeavit ad oras,
 Infernasq. domos, spoliataq. tartara liquit,
 Ille quater denos per soles fratribus olim,
 Quos primum elegit, Galileę est visus in oris,
 Celestiq. super regno admiranda locutus.
 Deinde ad Oliueti montem contendit, & omnes
 Sanguine coniunctos cara cum matre reduxit,
 Aethereas vnde ad sedes radiantis Olympi
 Ascensurus erat, mox cali in sede locandus:
 Qui iussi subito Christi mandata facessunt,
 In primisq. parens cœtu comitata piorum,
 Qui Christi fuerant vestigia sancta secuti,
 Vertebantq. graues in dulcia gaudia lactus:
 Et superant alacres vicina cacumina montis.
 Vtq. locum leti tenere, redemptor IESVS
 Effulgens radijs celestibus astitit: & se*

Ostendens

Ostendens illis sic suavi est ore locutus.

Hactenus o fratres vobiscum viuere vitam
 Fas fuit: at me nunc genitor in certa reuerti
 Regna iubet, cęliq. domos. vobis ego pacem
 Aeternam linquo ipse meam. sic factus, ab ipsa
 Confestim se tollit humo: vultumque, manusque
 Ad cęlum tendens celestes fertur in oras:
 Atq. illos linquens, illis benedixit: & omnes
 Viderunt comites ipsum supera alta perentem:
 Deuicta quę morte, poli fulgentia secum
 Astra super, summiq. vias ducebat Olympi
 Felices animas, piceo quas carcere dudum
 Aeternis regio tenebris immersa tenebat:
 Qui natum, patremq. simul per læta canebant
 Carmina: & illorum resonabat cantibus æther.

Quin etiam agnouere Deum, Dominumq. paternas
 Intra tem Christum sedes niriidissima cęli
 Agmina, & e cęlo noua lux effulsit aperto.
 Illi oculos fixos supera ad conuexa tenebant,
 Donec se Christus nebula circumdatũs alba
 Digrediens terris patrias remeauit ad oras.
 Qui postquam aspexit sociorum corda recessu
 Iam turbata suo, demisit ab æthere kinos
 Sublimi subito iuuenes in vestibus albis:
 Qui pauca hæc alacres placido sint ore locuti.
 Progenies Ga'ileya Deo dilecta, tueris
 Quę cęli æthereas intento lumine sedes,
 Qualis vitæ or ouans altum penetravit IESVS,
 Quem vos intenti in cęlum vidistis euntem:
 Sic olim in terram superis remeabit ab oris.
 His dictis, cęlum terra petiere relicta.

Parua aligeri iuuenes plausere per altum
 Aethera, & ingenti late exultauit Olympus
 Letitia: aligeriq; chori cecinere vicissim
 Ante fores sacras sublimis carmina celi:
 Fundebantq; sonos citharæ, dulcesq; querelas
 Alituum manibus percussæ, & tibia gratos
 Curua dabat sonitus, non sibila rustica: namq;
 Aduentante Deo portarum clausura patebant,
 Stellantis necnon summi spatia ignea celi,
 Quæ numquam Sol prospexit, non candida Luna:
 Sed Pater has nitidas sedes, lux ipsa, beatas
 Lumine perfundit, Solem qui fecit, & astra:
 Et circum sonuere nouis concentibus auræ. (versus,
 Hos PERENOTTE etiam mittit tibi Gambarara
 Quis Christum cecinit celum ascendisse, patresq;
 Electos olim ad tutos duxisse receptus.
 Atq; vtinam ille idem Christus stellantis easdem
 Nos vocet ad celi lætas post funera sedes.

IN DIVVM ANTONIUM ABBATEM.

ARGVMENTVM.

Duram Antonij in desertis locis vitam, diabolique
 molestias describit, exin Perenotti Cardinalis no-
 mine rogat eum, vt Deo pro se preces fundat.

ANTONI pater horrentis quondam incola eremice
 Delicijs qui contemptis, rebusq; paternis,
 Et consanguineis peristi seua ferarum

Antra

Antra puer, vili atq. aspro contentus amictu :
 Agresti, tenuiq. cibo: cui pocula lympha
 Fontis erant, nigroq. sopor mage gratus in antro,
 Quam Tyrio recubare toro, gemmisq. corusco.
 Tuq. etiam innumeras veluti fax ignea gentes.,
 Quę Christum haud norant, duxisti ad certa salutis
 Gaudia, & e tenebris ad vera lumina vita.
 Sicut deduxit sublustri in nocte columna
 Ignis ad oppositum litus, tutosq. receptus
 Hebraum populum Aegypti de sinibus olim.
 Dum vero incoleres loca senta, & inhospita eremi,
 Vicisti fraudes, fucataq. verba malorum
 Spirituum: exemplo. tuo coluere relictis
 Fascibus, & fundis homines, Aegyptia tesqua.
 Lucifer ille malus, fastuq. elatus inani,
 Vt forma insignem vidit se, dixit: In altum
 Consendam celum, & ponam super ardua summi
 Astra Patris, soliumq. meum, nomenque, nec illo
 Inferior ero, nec factis, nec viribus impar.
 Tartara sed postquam Deus illum trusit ad ima,
 Et sese tanto spoliatum vidit honore:
 Invidia, atq. odio corda est humana, dolisque,
 Ac fraude aggressus: sed non te numine Patris
 Confisum aeterni flexit terrore, minisve:
 In taurum ille licet sese, horribilemque, draconem,
 Aspidis inq. trucidis formas, vrsiq. lupiq.
 Verteret, atq. ignes effundit. et ore, nigrumq.
 Naribus e fumum, crines & serperet inter
 Flamma furens, streperetq. horrendis vocibus antrum.
 Nec non ornata gen. mis, auroq. puella
 Per noctem saepe in vicem sese inani: & te

Dulcibus

Parte alia aligeri iuuenes plausere per altum
 Aethera, & ingentilate exultauit Olympus
 Letitia: aligeriq; chori cecinere vicissim
 Ante fores sacras sublimis carmina celi:
 Fundebantq; sonos citharę, dulcesq; querelas
 Alituum manibus percusse, & tibia gratos
 Curua dabat sonitus, non sibila rustica: namq;
 Aduentante Deo portarum claustra patebant,
 Stellantis necne summi spatia ignea celi,
 Que numquam Sol prospexit, non candida Luna:
 Sed Pater has nitidas sedes, lux ipsa, beatas
 Lumine perfundit, Solem qui fecit, & astra:
 Et circum sonuere nouis concentibus aure. (versus,
 Hos PERENOTTE etiam mittit tibi Gambara
 Queis Christum cecinit celum ascendisse, patresq;
 Electos olim ad tutos duxisse receptus.
 Atq; vtinam ille, idem Christus stellantis easdem
 Nos vocet ad celi letas post funera sedes.

IN DIVVM ANTONIVM ABBATEM.

ARGVMENTVM.

Duram Antonij in desertis locis vitam; diabolicę
 molestias describit, exin Perenotti Cardinalis no-
 mine rogat eum, vt Deo pro se preces fundat.

ANTONI pater horrentis quondam incola eremi:
 Delicijs qui contemptis, rebusq; paternis,
 Et consanguineis petisti seua ferarum

Antra

Antra puer, vili atq. aspro contentus amictu :
 Agresti, tenuiq. cibo: cui pocula lymphæ
 Fontis erant, nigroq. sopor mage gratus in antro,
 Quam Tyrio recubare toro, gemmisq. corusco.
 Tuq. etiam innumeras veluti fax ignea gentes.,
 Quæ Christum haud norant, duxisti ad certa salutis
 Gaudia, & e tenebris ad veræ lumina vitæ.
 Sicut deduxit sublustri in nocte columna
 Ignis ad oppositum litus, tutosq. receptus
 Hebraum populum Aegypti de finibus olim.
 Dum vero incoleres loca senta, & inhospita eremi,
 Vicisti fraudes, fucataq. verba malorum
 Spirituum: exemploq. tuo coluere relictiis
 Fascibus, & fundis homines, Aegyptia tesqua.
 Lucifer ille malus, fastuq. elatus inani,
 Vt forma insignem vidit se, dixit: In altum
 Consendam calum, & ponam super ardua summi
 Astra Patris, soliumq. meum, nomenque, nec illo
 Inferior ero, nec factis, nec viribus impar.
 Tartara sed postquam Deus illum trussit ad ima,
 Et sese tanto spoliatum vidit honore:
 Inuidia, atq. odio corda est humana, dolisque,
 Ac fraude aggressus: sed non te numine Patris
 Confisum æterni flexit terrore, minisve:
 In taurum ille licet sese, horribilemq. draconem,
 Aspidis inq. trucidis formas, vrsiq. lupiq.
 Verteret, atq. ignes effunderet ore, nigrumq.
 Naribus e fumum, crines & serperet inter
 Flamma furens, streperetq. horrendis vocibus antrum.
 Nec non ornatæ gemmis, auroq. puella
 Per noctem saepe in faciem sese inauit: & te

Dulcibus

Dulcibus illecebris tentavi fallere frustra,
 Nunc sacram ipse oleis orno bicoloribus aram,
 Liminaq. intendo templi, postesq. superbis
 Exquilis positos lauru, myrtoq. virenti;
 Narcisso pro purpureo, calthaque, rosaque:
 Accensasq. faces teneo de more vetusto
 Ante aram supplex ego, qui te nomine reddo,
 A teneris & te veneror pater optime, & oro
 Digneris Patrem aeternum, natumq. precari,
 Ut me respiciat. sinat & me ducere vitam
 Hanc fragilem sine labe aliqua, & sine crimine, qualem
 Duxisti quondam in Pharys novus incola filius.

IN SANCTVM ALBANVM
MARTYREM.

ARGVMENTVM.

Deus Albani ad martyrium euntis rogatu flumen
 exiccavit: quo miraculo satelles eum occisurus
 martyrij comes factus est: eiusq. percussoris oculo
 illico in terram cecidere.

ANTONI, dum tu populis das iura, sibiunt qui
 Sabethi liquidos lauces: R gisq. Philippi
 Scepra, vicesq. subis: hoc nostro carmine factum
 Mirificum, rarumq. leges, quod contigit olim
 In terris, quas durus habet, fortisq. Britannus.
 Hesperios reget cum Maximianus iniquo
 Imperio populos longe, lateq. per oras

Occiduas

Occiduas, cades facta est crudelior, atq.
 Maior in insontes, verum qui numen adorant,
 Quàm quæ sub rigido cades commissa Nerone est:
 Namq. hæc pestis atrox sauit bisquinq. per annos.
 Huius erit belli diuisa Britannia nostris
 Littoribus testis locuples: quæ diruta fundo
 Tempia, piasq. domos mæsta illo tempore vidit.

Albanus Verolamios non vltimus inter
 Illa tempestate fuit: fundisq. paternis,
 Sanguine & insignis, qui cælo accepit auito
 Forte sacerdotem nostra de gente, timentem
 Principis insidias senis, mandataq. contra
 Edita adorantes Christum, non falsa decorum
 Numina, quæ vano gentes de more colebant.

Obscuro in thalamo hic noctesque, diesq. manebat,
 Orabatq. Deum parcus potusq. cibique.
 Cum vero Albanus ipsum vidisset in ortu
 Luciferi orantem tecti in penetralibus alti:
 Illum adiit subito admirans, supplexq. rogavit,
 Vellet vt optanti sibi pandere religionem,
 Quam tenet. ille inquit, Non hæc sine numine Patris
 Aeterni Albane eueniunt: nam Christus in oras
 Te vocat athereas, ciuemq. ascribit Olympo.

Tunc ipsum erudit diuini semina verbi,
 Monstrauitq. viam, cæli quæ ducit ad arces,
 Dicens: Sperne deos, tamquam fera monstra profundæ,
 Quos colis, & frustra summo veneraris honore.

Interea latitare virum peruenit ad aures
 Iudicis Albani in tectis. mora nulla satellites
 Armatus dextra primo quatit ostia somno.
 Albanus pœnas, mortemq. subire cruentam

Pro Christo exoptans, vili se vestit amictu,
 Indutus quo pauper erat, postesq. reclusit:
 Deinde satellitibus sese obuius obtulit vltro.

Tunc illum ducunt alta ad pratoria: qui mox
 Carcere conclusus piceo, densisq. tenebris
 Innumera est illic tormenta, & verbera passus,
 Non metuens liquidum plumbum, clausosq. trabales,
 Ex ære aut cuneos, haud seui iudicis iram,
 Atq. minas; illum nam nouerat hospitibus ergo
 Tot tormenta pati, quem tecto admiserat: atq.
 Indignans illum rapidi torrentis ad amnem
 Deduci iussit subituum funus acerbum.

Dumq. locum peteret, quo mortem Albanus obiret:
 Confertum aspiciens pontem (nam plurima turba,
 Cerneret vt mortem ipsius conuenerat illuc)
 Non transire valens illum: namq. hic locus vltra
 Flumen erat, fontes pœnas quo ferre solebant:
 Quod multos secum lapides, siluasq. trahebat.
 Confestim Albanus tumida haud perterritus vnda,
 Sed palmæ cupidus gressum compressit ad amnem,
 Ad calum tollens oculos, supplexq. rogauit
 Aeternum patrem, vt vellet deducere flumen,
 Quo siccis possent pedibus transire fluentia
 Turgida iam. mora nulla viri videre carentem
 Et strepitu, & cursu fluiuium, & crepitantibus vndis.

Post vbi deuenere locum, tunc ense satelles
 Acturum posito, Albanum dare qui modo leto
 Iussus erat, nouitate rei stupefactus, humi se
 Proiecit, sociumq. illi sese addidit vltro,
 Atq. fatebatur Christum solum esse colendum,
 Non Martem, Bacchum, atq. Iouē, quos ante colebat.
 Atq.

*Atq. alius curuo caput abstulit ense satelles
 Albano, quem non perfundi tunc Deus illum
 Vlla letitia permisit: sed caderet cum
 Abcissum caput Albani, tunc illius vna
 In terram cecidere oculi, gladiumq. relinquens
 Corruit in terram attutum: sacroq. cruore
 Immersus frustra ille Iouem clamore vocabat:
 Non verum mundi Dominum, rerumq. parentem,
 Lapsa illi poterat qui reddere lumina solus.
 Inq. fide miles iam factus firmior, ardet
 Ingenti desiderio se subdere morti:
 Quam subijt, nuper gladio qui inferre negaras
 Albano insonti mortem, calumq. petiuit*

IN CHRISTI TRANSFIGURATIONEM.

ARGUMENTVM.

Dum Christus in vertice montis Thabor Petro, Iacobo, & Ioanne presentibus oraret, eius facies Solis instar reluxit, vestimenta q. niue candidiora apparuere. tum vox summi Patris e caelo audita est, dicentis, Christum dilectum sibi filium, eumq. audiendum.

Cum per Iudæam, & felicem Christus Idumen,
 Atq. Palestinam diuini semina verbi
 Spargeret, & morbis afflictos redderet egros
 Incolumes: & spiritibus correpta malignis
 Corpora sanaret verbo, & vestigia claudis
 Aequaret solito gressu, lumen daret illi,
 Qui numquam vidit lucem, & renocaret ab oris
 Infernis homines ad caeli luminis auras,

Redderet & mutilis artus, frugumq. referret.
 Non partem exiguam verbi de semine iacto.
 Afflatus postquam diuino numine Petrus
 Ante omnes alios fuerat confessus IESVM
 Christum esse, aeternumq. aeterno patre creatum,
 Pauci abiere dies, cum Petrum Christus eundem,
 Cui Dominus cali claues promiserat vni:
 Atq. duos, quos enixa est Zebedæia coniux,
 Ad celsum duxit Thabor. sed cum iuga montis
 Ascensu aerij superassent, vertice IESVS
 Constitit, & calo palmas vtrasq. tetendit,
 Effuditq. preces magno, de more, parenti.
 Dum vero oraret, lux calo effulsit ab alto,
 Atq. infusa, nemus latebrosum clara rexit.
 Ipse autem effulgens mutato apparuit ore
 Christus, & aspectu patuit Deus: instar erat nam
 Illius facies Solis cum surgit, & alium,
 Pulsa nocte, diem secum vehit, & fugat astra.
 Quiq. sacrum tenuis corpus vestibat amictus,
 Scythonias candore niues antecibat, ob ipsum
 Splendorem immensum manantem e corpore Christi.
 Quin etiam gemini vates, quorum vnus ab oris
 Aegypti Hebraeum populum pede per freta sicco
 Duxit ad oppositum littus, desertaq. regna:
 Cui statuit leges: alter cui calicolum Rex
 Scire futura dedit, quem portauere quadrigæ
 Flammi feræ in nitidam sedemq. hortosq. beatos;
 Mira apparebant hic maiestate verendi.
 In medio illorum stabat sublimis IESVS.
 Dum vero inter se loquerentur de nace Christi,
 Quæq. Hierosolymis illum subeunda manerent

Tormēta infontem, dum Patris iussa facessit:
 Intenta Petrus perceperat aure magistri
 Funera dira sui: & Dominum miseratus acerbam
 Ipsius ob mortem, sic inquit: Christe manere
 Hoc nobis in monte bonum est: permittite precor te
 Tres struere aerei sedes hoc culmine montis:
 Quarum prima tibi dabitur, Mosiq. secunda,
 Tertia & Eliæ Thesbitæ cedit: & altis
 Sedibus his liceat nobis producere vitam.

Dum loquitur Petrus, celo demissa sereno
 Fulgida per tenues nubes apparuit auras,
 Mortales illorum oculos, & pectora inumbrans:
 Et subito vox est e clara reddita nube:
 Filius hic meus est, atq. indubitata propago,
 Et mihi ab aeterno semper dilectus, & in quo
 Complacui mihi. vos gentes quæ littus utrumq.
 Incolitis, ipsum hunc terris audite, nec vllum
 Vllum alium. vocem hanc tres illi hausere, metuq.
 In facies cecidere suas: nam ferre nitorem
 Ingentem nubis, sparsamq. per aera vocem
 Illorum hæc poterant sensus: dehinc ille timore
 Prostratos adiit, tetigitque, & talibus insit:

Surgite, nec pavor ulterius vos occupet vllus.
 Tunc læti surgunt oculos per cuncta ferentes,
 Lustrantesq. cæni montis latera ardua circum,
 Non vllum videre virum: sed vertice tantum
 Aerij montis Christum. dehinc Christus ab alto
 Cum tribus his vna descendens monte per umbras
 Discipulis, iussit ne quæ modo visa fuissent
 Iphis monte, palam facerent mortalibus vllis,
 Inferna donec surgens a sede rediret

Post ternos Christus Soles, & victor Auerni
Indutus spolijs superas remearet ad auras.

A R G V M E N T V M.

Precatur Deum pro sacra classe contra Turcas.

TV mecum PERENOTTE, regis qui lictus utrumq.
Ausonia, magno positum sub Rege potentis
Hesperia, Tagus auriferis quam scindit arenis,
Exequerisq. tui solers mandata Philippi:
Tendere se classis dum nostra accingit in hostem,
Ante aras effunde preces de more vetusto
Ad celi terraeq. Deum, rerumq. parentem:
Ut inuet auxilio classem, ventisq. secundis,
Augeat & nostris vires in praelia, & illos
Edoceat, dextraq. tegat, roburq. tyranni
Viribus ipse suis obtundat, & obruat vndis.
Frangantur fastus illorum, animique, nec vlla
Spes illos alat ulterius: redigantur at omnes
Ad nihilum, exiguus ceu currens rivus arenas
Per bibulas, cum Sol campos salis vrit, & aether
Fervet ob Icarium sidus, passimq. per agros
Languescunt herbae, & rimas agit arida tellus.
Innos illorum nec vulnera dirigat ensis:
Nec mortem turbatae acies, peditumq. manipuli
Effugiant miseram: sed cum bella aspera ponto
Permiserunt, animam expirent fluitantibus vndis.

Letitia perfunde animum PERENOTTE recenti;
Nam victi cecidere hostes, pauciq. (cruore
Aspersi tamen) ad sedes rediere paternas,
Et sua viderunt versis vota irrita rebus.

ARGUMENTVM.

Inuehitur primo in Selimum, eius arrogantiam irridens, deinde Constantinopolim nostris spolijs ditatam.

Qua tibi mens Selime fuit, postquã aquore classera
 Ionio amissam nuper, stragemq. tuorum
 Audisti? qua confusus, te posse putabas
 Non solum Adriacos fluctus, Tyrrhenaq. ponti
 Carula, & Hesperij maris aquora, sed quoq. vastos
 Cannibalum penetrare sinus, victorq. referre
 In patriam prædam ingentem, regesq. ducesq.
 Ante tuos currus, captiuos ducere: & urbem
 Per mediam, rapida quam Bosphorus alluit vnda,
 Ire inuectus equis, auro gemmisq. superbus:
 Poscere & athereos temere mortalis honores.

Namq. mare vndabat bello, atq. iniecerat atrum
 Tunc hominum terrorem animis tua barbara classis:
 Sed nunc, en quantum tua te spes vana fefellit,
 Atq. incerta vides: quoniam sic euenit illi,
 Qui numero bellantum audax spem collocat omnem
 In regnis, opibusq. suis, nec cogitat iram,
 Quam Deus in fontes, atq. in sæcla impia vertit.

Et nunc a Venetis Epiri in littoris ora
 Audisti euersas arces, fusasq. phalanges.
 Nec dubita, ipsa manus Domini fortisque, potensque,
 Quæ gentem, classemq. tuam, mox te quoq. victum
 In nostras eadem ipsa manus, Turca impie, tradet.

Tunc ira Pater accensus nomenque, genusq.
 Delebit Selime tuum: veluti per aperta

Plana

Plana lutum, valido aut pulvis dissectus ab Euro.
 Inq. tot erumnas commissa ob nostra tyranne
 Crudelis nos invidimus, quarum haud tua classis
 Causa fuit, non turme equitum, peditumq. caterue:
 Sed Deus ipse tuas, nobis iratus, in iras
 Nos miseros toties concessit, & oppida & vrbes.
 Et nunc, cum sit nos calo miseratus ab alto,
 Nec precibus nostris auertat (ceu prius) aures:
 Iras in te acuet, quas olim exercuit in nos.

Tuq. etiam tantis vrbs quondam affueta triumphis,
 Nostrorum & spolijs diues, quam nunc ferus ille
 Selimus premit imperio: tu turturis instar,
 Qua nuper thalami consortem amisit, & implet
 Flebilibus nemoris nigrantem questibus vmbra:
 Mortua nauali pugna, dissectaq. ponto,
 Et monstris laniata feris tua corpora desse:
 Et pro gemmanti palla te vestibus atris
 Indue, & obscuris lacrymans te conde tenebris,
 Tantæ insperatae cladis testata dolorem
 Insolitum, debinc letitiam, ludosq. repende
 Exactos gemitu mæsto, casuq. recenti.

Tu quoq. Christe, tuæ diuinum ob matris amorem
 In te, a te petimus, ne nos hoc tempore longa
 Confectos atate tuo sine numine linquas;
 Sed serua incolumes, donec tibi nostra placebunt
 Obsequia, & nostræ veniat meta vltima vitæ.

F I N I S.

INNOCENTVM CAEDES.
EX BASILIO SELEVCIAE
EPISCOPO.

Ad Ioannem Delphinum Brixiae Episcopum.

ARGVMENTVM.

Herodes auditis Magis, metuens regno spoliari,
misit Bethleem milites, qui omnes omnino cer-
tae aetatis infantes interficerent: impij autem mi-
lites Regis impij impia iussa impiè executi sunt.

Quod scelus Herodes animo conceperit, & quos
Ad tantum facinus peragendum miserit, audi,
Pro re Romana, pro religione labores
Cum tantos fueris passus sub frigore, & aestu,
Ob longas DELPHINE vias: & nuper honore
Sacro insignitus, quo praeside Brixia passum
Exultat, grates & agit pro munere tanto
Lata Deo: vitamq. cupit te ducere in annos
Non paucos: duce quo pecudes bona gramina tondent;
Atq. bibunt nitidos puro de fonte liquores;
Optat osq. ineunt subter nemora ardua somnos:
Quod cecini ad ridas Tiberinas accipe carmen,
Id dignum studijsq. tuis, atq. auribus etsi
Non sit, nec numerisq. fluat, nec diuite vena.
Herodes pelli Solymorum e diuite regno
Permetuens, postquam insontes disperdere crevit
In Bethleem Iudae, vicina atq. oppida circum

2 Ubera

42
 Vbera sugentes pueros: in regia iussit
 Testa duces clam militie, certosq. vocari:
 Qui subito aduenere alacres ad iussa parati,
 Iussa infanda auidi, fas admiscere, nefasque.
 Tunc Rex, nunc animis opus est, & viribus, inquit:
 Nullaq. nunc teneat mora vos: nam fama per ora
 Iudeas vulgata refert prope mœnia Bethles
 Esse nouum Regem natum, qui sceptrâ, decusq.
 Eripiet mihi. me terrent oracula vatum,
 Qui Christi cecinere ortum iam tempore multo.
 Quin etiam Eois vidi e regionibus huc tres
 Aduenisse viros, his sedibus exquirentes
 Infantem nuper natum, Bethleemq. petisse,
 Ut puerum flexo venerentur poplite Regem.
 Ex quibus ortum ipsum Regis didicisse volebam,
 Ut nostra caderet dextra puer ille: sed illi
 Non ultra rediere viri. vos soluite tanto
 Me terrore duces, vosq. armis incluta pubes
 Promite nunc vestras e forti pectore vires.
 Ite citi, puerosq. omnes absumite ferro
 Lactentes: ipsosq. etiam superate parentes,
 Si sua forte ausint subducere pignora morti.
 Non pietas, non vllus amor, non dona, humile sive
 Vos flectant, moucant ve preces: miscete cruorem
 Effusum teneri infantis cum lacte parentum.
 Istorum infantum nullus superet que, nec vllus
 Vitales curas carpat; nullusq. cruentam
 Effugiat mortem. sic hic meus hostis acerbo,
 Quem metuo, interitu occumbet, vitamq. relinquet:
 Sic egome tantis exoluam deniq. curis,
 Laxabitq. animum strages noua. vos mihi porro

Securum ipsi animum præstabit. hæc ubi dixit
 Ille ferox; tunc hi tardis non passibus urbem
 Regalem ingressi Bethleem, vicinaq. circum
 Oppida, cædebant quæq. obuia pignora matrum
 Lugentium, largo madefactaq. terra cruore est
 Lubrica, nec quis poterat tunc sistere gressus
 In triuijs: quin tectorum in penetralibus ipsos,
 Tamquam hostes, pueros quærebat miles, & alter
 Miscebat pueri lactis cum matre cruorem,
 Transadigens ferro maternum pectus acuto.
 Mœrentes aliæ, manibus quæ forte premebant
 Infantum membra, illa eadem diuisa tenebant
 Crura, pedesque: ferus nam brachia miles habebat.
 Illa fugam celerans nota ad diuortia, natum
 Mœsta sinu portans, in corpora trunca ruebat,
 Atq. cadens puerum saxo illidebat acuto.
 Infans siue aliquis sub tecto forte latebat,
 Proditus ipsius vagitu, sedibus illum
 Deturbabat atrox subiecta in saxa satelles.
 Haud secus irruere in pueros, quàm turba luporum
 In pecudes sparsas siluis, dum gramina tondent.
 Et vestes matrum, & puerorum sanguine cunas
 Sparsere: intepuit tellus, ensisq. cruore.

Postquam optatum habuit cades hæc impia finem
 Herodis sæui, mox illatibilis urbem
 Confusam Bethleem sublatus ad athera clamor
 Turbavit: trepidi natos deslere parentes,
 Et fratres lugere suos, quos hausit ensis
 Innocuos: gemitumq. dabat mœstissima mater:
 Clamabant palam cuncti per compita passim,
 Numquam tale senes facinus vidisse, nec vquam

Auditum tale excidium: lacrymisq. vicissim
 Lumina perfusi, natorum membra, nepotumve,
 Aut fratrum trunca in truijs, domibusve legebant,
 Atq. dabant tumulis, Herodi dira precantes.

Seu quis luminibus siccis memorabit acerbam
 Temporis illius cladem, immanisq. tyranni
 Sauitiam? nam cum mater daret vbera nato,
 Illa sui infantis tingeat sanguine, & vno
 Sape ictu gladij miles puerum atq. parentem
 Prosternebat humi, & matris, natiq. fluebat
 Permixtus cruor in terram, milesq. ruebat
 In puerum toruum aspiciens, laeuq. premebat
 Semianimem infantem; mucronem dextra tenebat
 Districtum: mater dicebat, Me pete ferro,
 Me prius, afficiam ne nati funus acerbum.
 Tantus amor cædis fuit his, tam dira cupido.

Herodes vitam regni securus agebat,
 Ob cædem nuper factam, velut hoste perempto
 Duceret insignes victor media vrbe triumphos.
 At Deus omnipotens patrati criminis vltor
 Morbum illi seuum immisit, quo victus in auras
 Indignantem animam per fracto viscere fudit:
 At pueros Abrabe in gremio, requieq. locauit.

Quid tibi quaeso animi Herodes furibunde fuit tunc,
 Ipse Magis cum dixisti, te velle potentem.
 Suppliciter flexo venerari poplite Regem?
 Et tua calliditas facile est detecta, dolusq.
 Iste tuus, cum tu iussisti perdere ferro
 Vbera sugentes pueros: cladesque, cruorq.
 Illorum effusus terram super, arguit altam
 Sauitiam, scelerate, tuo quæ corde latebat.

Non etenim venere Magi de partibus Indis,
 Vt puero dent dona tuo regalia, que non
 Illi conueniunt, quamuis sit regia proles
 Filius iste tuus. tuq. hunc deponere timorem,
 Atq. hanc curam animo: tuus hic puer haud erit heres,
 Successorq. tui regni, scelerate, times quem
 Regnaturum olim his terris te Rege subacto.
 Non terrena rapit, qui dat cęlestia regna.
 Dic mihi, quę te pœna manet sœuissime regunt
 In pueros ausum infantes distringere ferrum,
 In matresq. ipsas, si quę se opponere tentent,
 Pro natisq. velint vitam exhalare cruentam.

IN SANCTVM IOB.

Ad Vincentium Stellā Brixianum Iuriconsultum.

ARGVMENTVM.

Sancti Iob patientiam celebrat, animique constan-
 tiam, quippe qui rebus omnibus amissis, filiis
 domus ruina oppressis, totoque corpore sanie
 fluenti, Deum semper laudauit.

Diuēs agri, & pecoris diuēs, simplexque, Deumque
 Iob metuens, rectusque, atq. inter primus Eoos
 Sanguine, & egregia natorum prole suorum,
 Vt sensit cladem illorum, rerumq. ruinam:
 Ad terram tacitus confestim corrui, & sic
 Pronus adorauit celi terręq. parentem:
 Atq. animum tanto casu non turbidus infir.
 Sum nudus matre egressus, nudusq. reuertar
 In terram putrem: Dominus dedit hos mihi natos,
 Abstulit hos idem Dominus: sic deniq. factum est,

D 3 Vt

Ut rerum Domino placuit. laudabile semper
 Sit sanctum Domini nomen. sed post ubi morbo
 Informi Iob est percussus ab hoste maligno:
 Tunc thalami consors illi insultabat amaris
 Vocibus, aspiciensq. illum taboq. fluentem,
 Et sanie oppletum immunda, sic inquit: an in te
 Simpli. itas tua perstat adhuc, o credule coniux.
 Nunc morere, atq. Deo benedic. tunc subiicit ille:
 Tu veluti stulta hac loqueris: si tot bona nobis
 Nunc amissa Deus concessit munere quondam,
 Cur non equo animo patimur mala, dura licet sint?
 Omnibus his Iob grumnis, tantiq. nefandam
 Haud culpam admisit, peccando nec sibi fecit
 Iratum, insensumq. Deum verba impia fundens.

Carmine te hoc nostro silari Stella volebam
 Iob iusti exemplo, postquam peruenit ad aures
 Fama meas, natos vrbis duo lumina nostrę
 Occubuisse tuos morti, ac te dira tulisse
 Funera non fractumq. animo, nec viribus ullis
 Exhaustum, quamuis premeret te tarda senectus.
 Communisq. dolor patrię, patria q. procella
 Pestis inundantis, virides ceu Nilus in agros.
 Percipiens equidem miror, miratur & omnis
 Brixia, tot casus inter tua pectora vinci
 Nescia, nec cessisse malis: cunctiq. recentem
 Ob plagam hanc faciem mutatum, aut ora fatentur.
 Te fletum surgens sidus non vidit Eoum,
 Nec fletu perfusa nouo tua lumina Vesper.
 Perge sequi mandata Dei, mi Stella, velisq.
 Quod voluit Pater omnipotens, ac pectore seruo
 Perpetuo Iob in rebus qua dixit egeris.

POEMATA SACRA. 47.
IN SANCTVM PAVLVM
APOSTOLVM.

*Ad Federicum Ranaldum Bibliotheca
Vaticanae custodem.*

ARGVMENTVM.

Narrat quomodo Paulus ab impietate ad Christum
sit conuersus, quanta pro eo passus sit, quot regio-
nes peragrauerit Christianam pietatem docendo:
quodq. tandem Romæ cum Petro sub Nerone
martyrij palmam adeptus sit.

S Criptores Latios, Graiumq. volumina dum tu
Euoluis Federice, leges Ranalde pericla,
Et vitam Pauli breuiter, quam mittimus ad te
Dum patrias colis ipse oras, qua currit Aternus,
Adriacosq. sinus vitreo cum flumine tendit,
Et tua culta rigat Radiani ad mœnia parui.

Dum peteret Saulus multis comitantibus urbem
Quæ prima est Syria, diuesque, opulentaq. rerum,
Ore vomens rabiem, spiransq. inmane, minansque,
Ceus lupus in sacrum Domini, vel tigris ouile:
Ad subitam Christi vocem mansuetior agno
Euasit, cum lux calo demissa sereno
Circumscepit eum, & stravit, lumenq. repente
Occidit, atq. oculorum aciem obduxere tenebra.
Quique prius Christi fuerat cultoribus hostis
Hostis atrox, tinctasq. manus infantis haberet
Sanguine: dehinc sancto pro Christi nomine pœnas

*Viuens sustinuit varias, & deniq. mille,
 Diuersosq. etiam terra, pelagoq. labores:
 Obrutus & saxis, ponto & ter naufragus alto,
 Atq. ignominiam passus, tergoq. flagella.*

*Salue Paule pater, prisco tibi nullus ab aeo
 Sanctorum eloquio certauerit: omnia cedant
 Saecula, quae fuerunt, & erunt venientibus annis.
 Nil equidem mortale sonas, dum tu ora resoluis,
 Aurea diffundens diuini semina verbi.*

*Tuq. Deum spirans, diuino & numine raptus
 Tertium ad aethereum calum, sedesq. beatas,
 Audisti, mortali vlli quod dicere non est.
 Iudaeasq. tuis terres sermonibus vrbes,
 Et referas illis sacrorum oracula patrum,
 Et Christum aduenisse pijs iam patribus olim
 Promissum memoras fora per, per templa, domosque.*

*Tuq. Asia terras peragrasti, & Persidis oras,
 Atq. Arabu, Hispanosq. situs, Cypruque, Rhoduque.*

*Ipse & adorantes ignotum numen Athenas,
 Atq. Ephesum tu tendis iter, & Thessala tecta:
 Iussa docens populo summi patris ore deserto.*

*Est tua per varios casus exercita virtus:
 Et tandem in Latium ductus, quo saeva tenebat
 Sceptra Nero, gladio occumbis sub Casare eodem,
 Vno eodemq. die, nec non illa vrbe pependit
 In cruce qua Petrus: cui soli Christus alendas
 Ipse suas mandarat oues, dum spargitis ambo
 Romulidum populo diuini semina verbi.*

*Tuq. roga Patrem aeternum, concedat vt olim
 Iam cursu vite exacto, ad sublimia celi
 Atria detur iter nobis, sedesq. piorum.*

DE PELINI VITA.

Ad Marinum Ranaldum.

ARGUMENTVM.

Pelinus audiens Iuliani Imperatoris in Christianos
 sæuitiam, Dyrracchio patria relicta Brundisium
 petijt: vbi Episcopus creatus est. Deinde Iuliani
 iussu Romam profectum Cornicularius Præses
 inde vinctum Corfinium duxit. cumque ab eo
 Marti sacrificare iuberetur, fusa ad Deum prece
 iussit satanæ, vt & Martis statuam frangeret, &
 templum dirueret: quo corridente multi, & in
 iis Præses, oppressi sunt. Hoc viso Martis sacer-
 dotes ira perciti, eum verberibus prius cæsum,
 vulneribus confecerunt.

Pelinus proavisq. potens, & diuite censu,
 Quas possedit opes cunctas diuisit egenis,
 Factus inops terris, calo ditissimus alto,
 Acceptusq. Deo, dum vitam hanc viueret, idem
 Post obitum summo est ciuis transcriptus Olympo:
 Et rerum summam obtinuit, Romanaq. sceptrâ
 Iulianus Christi desertor; iussit vt omnes
 Per terras colerent gentes simulacra Deorum
 Turpia, quæ magnus dudum vndiq. Constantinus
 Sustulerat, fixa & venerari lege vetarat:
 Dyrracchium liquit patriam subito, hoc vbi sensit
 Pelinus, non ferre volens hæc impia iussa:
 Atq. tribus socijs comitatus venit ad vrberem

Brundusij, Adriacos sulcans placido equore fluctus.
 Miro Pelinum populus decorauit honore.
 Debinc vrbis factus Praesul, rectorq. sacrorum,
 Religionis erat summus defensor, & aras,
 Vanaq. temnebat falsorum numina diuum.
 Duceret & magna cum Cornicularius vrbe
 (Ad quam Iuliani accitu deuenerat vltro)
 Corfini ad sedes deuinctum colla, manusq.
 Ferro Pelinum rigido, iussisset, & ante
 Urbem ipsam populum Marti facere impia sacra:
 Talibus aggreditur Pelinum Praeses, & inquit:
 Nunc socys Peline tuisque, tuaeq. saluti
 Consule, Mauortiq. Deo fer sacra, libensq.
 Accede ad positas aras. tunc subiicit ille,
 Quem vestra fecere manus, non hunc ego Martem
 Turicremus vnquam supplex venerabor acerris.
 Non ego saxa colo, non aes, fuluumve metallum,
 Ficta quibus sunt ducta Deum tot numina, & aris
 Imposita, haec tanto qua vos celebratis honore.
 Lumina habet, naresque, auresq. haec Martis imago,
 Atq. pedes, atq. ora, manusque, & non tamen illa
 Marmorea effigies cernit, loquiturve, nec audit,
 Inteditve, mouetve manus, nec sentit odorem.
 Ipse Deum veneror viuum, qui regnat in oris
 Aethereis. Praeses tunc ira accensus amara
 Talibus infremuit dictis; furibundus in oris
 Ceu leo Massylis capream cum rupe latentem
 Conspexit, nec adire audet saxa ardua propter,
 Ascensuq. locum haud facilem. tunc turbidus inquit:
 Per caput hoc tibi nunc iuro, magniq. salutem
 Caesaris ipse hodie nolisve velisve Gradino

Thura dabis; vel eris Peline leonibus esca.
 Tunc ille oravit subito sua lumina vertens
 Talibus ad cælum: Tu qui me linquere numquam es
 Rebus in extremis suetus pater optime, da nunc
 Auxilium, vt cernat gens hæc incredula & exlex,
 In terris tua sit qualis, cæloq; potestas.
 Debinc satanæ, qui sub simulacro ex ære latebat,
 Iussit vt accelerans exiret imagine falsa,
 Frangeret, & statuam, simul atq; euerteret adem
 Funditus insignem ornatu. mora nulla columna;
 Et templi cecidere fores, & corruit ingens
 Moles: pulsa foret validis ceu flatibus Euri,
 Fulminibusve polo missis, subit æve ruina.
 Oppressit multos operosa hæc machina ciues
 Dum caderet: sed Pontifices quibus vnica templi
 Cura erat, & sociorum vmbra, vmbraque precepti
 Præsidis vlcisci ardebant, stragemq; recentem:
 Astutumq; manus illi iniecere neganti
 Esse Deum Martem, atq; alios, quos turbâ colebat,
 Spirituum decepta dolis, & fraude nocentum.
 Pelinus tandem cecidit percussus acerbis
 Vuneribus, virgisque, tulit que haud territus ante
 Mortem ipsam, inuictusq; animi licet accelerans mors
 Instaret, gelidos vita & iam linqueret artus.
 Exitus hic felix Pelini, & vita Marine:
 Cui circum indigenæ gentes fecere sepulchrum
 Tanario structum e saxo, templumq; dicarunt
 Illi ingens, donisq; opulentum, & numine Patrie
 Aeterni positum Pelig: is sedibus olim,
 Nomine Pelini qui nunc dicuntur ab ipso:
 Hic vbi erant quondam Corsini mœnia magna

Peligna

Peligna gentis caput vrbs tunc maxima, nunc que
 Diruta, & apparent vestigia magna ruina:
 In quibus est edes celeberrima dicta Pelino,
 Vt *nam circum multa, & vicina frequentans*
 Opt. *& innumeris onerant altaria donis.*
 Felices vos indigena, queis contigit olim
 Aetheream his terris tanto sub praside lucem
 Haurire, atq. illi meritos decernere honores,
 Et canere illius non vno carmine laudes:
 Liquerit vt patriam sub prima etate, paternis
 Posthabitis tot sponte opibus, caramq. parentem,
 Vt sancta innumeros pro religione labores
 Pertulerit: quem Iuliani non verba, miniq.
 Flexerunt, quem non mors aspera terruit vnquam:
 Ut verbo structam Marti dissecerit adem,
 Fecerit vtq. inter miracula plurima gentes:
 Tu nostra fidei cultor pater inclyte salve,
 Ferq. preces nostras summi omnipotentis ad aures,
 Testa suo vt sit sub clypeo Ranalda propago.
 Tuq. decus patrie clarum, Federice, tuaq.
 Cen nridum lumen Renaldę gentis, & ingens
 Presidium, columnenq. velut grauis anchora, que cum
 Iacta mari tumido est, tutatur dente carinam
 Incuruo, pelagiq. minas non horret, & estus,
 Littoraq. abrupto plangentes sidere ventos.

SANCTI PELINI MIRACVLVM.

Ad Dominicum Ranaldum.

A R G V M E N T V M.

Mulier cæca audiens Pelinum miraculis clarum,
 eius templum adire decreuit, dumq. iret paula-
 tim caligo ex oculis recedebat: tandem cum in
 eius templo post Sacrum Eucharistiam sumpsis-
 set, confestim clara luce uti cœpit.

Dominice egregiam super omnes dum colis urbem,
 Quam vetus intortis interluit Albula lymphis,
 Et vigil euoluis sacrata volumina legum,
 Audi oro Ranalde tuis quod contigit oris,
 Flumine quas gelidus procuruo scindit Aternus.
 Tu quoq. nam condis cultum & memorabile carmen,
 Firma tibi nondum quamuis aduenerit ætas.
 Cæca oculos quondam mulier pauperque, Theano
 Quam genuit posita in Sidicinis inclyta terris,
 Audiuit postquam miracula nota per oras
 Pelini Ausonias: oculis se cernere posse
 Certam animo spem concepit, patriamq. reliquit
 Consurgens stratis, cum lux albescere ab oris
 Aurora inciperet, nitidoq. retexeret ortu
 Clara suo celi spatium, terrasq. patentes.
 Quid dicam? magna hanc tenuit fiducia, tanto
 Curari morbo precibus meritisq. Pelini
 Se posse, æternoq. Patri debere salutem.
 Atq. iter arripuit subito, non territa longam
 Ire viam, dubitans casus nec adire frequentes.

Sed

Sed loca per dum ferret iter satis aspera, molemq.
 Et montes pedibus nato comitante; genas cui
 Vestibat teneras primæ lanuginis etas,
 Per tenebras veluti visa est se cernere natum,
 Qui dextra leuam matris de more tenebat,
 Et sese est sperire procul via visa; locumq.
 Optatum, quanto mulier magis accedebat,
 Hæc tanto magis hauribat lucemq. diemque.
 Mox ingens templum Pelini ingressa, precesq.
 Dum fundit, caligo oculis obducta precanti
 Illa recedebat sensim, lumenq. redibat
 Paulatim: veluti in teneras vigor humidus herbas
 In nemorumq. solet frondes, cum terra recentem
 Ob partum ridet formosi Veris in ortu,
 Dum picturatos spectat sua pignora flores;
 Et veluti cum mane nouo Sol aureus omne
 Obductum tenebris immissa luce serenat
 Cælumque, & pelagi tractus, terrasq. patentes.
 Pelini at postquam pia sacra audiuit ad aram,
 Et Christi corpus sacratum sumpsit, ibi omnes
 Aëturum ex oculis tenebræ fugere, recepitq.
 Amissum subito lumen, rerumq. parenti
 Immensas egit grates, pariterq. Pelino.
 Venerat & duce quæ nato & sine luminis vsu,
 Ipsa videns, non vsa duce, ad se læta reuertit.

IN TOBIAM.

Ad Simeonem Gugnetum Metensem.

ARGUMENTUM.

Narrat Tobie in Deum pietatem, in cohortandis ad virtutem fratribus, eorumque inopia subleuanda, atque in sepeliendis mortuis benignitatem: quodque ne Regis quidem minis à bonis operibus deterritus sit.


TV Gugnete etiam, quo non est inter amicos
Præcipuos nec candidior, nec certior alter,
Sis nostri memor interdum, me Brixia quamuis
A te detineat longeque, & dulcibus olim
Colloquijs, dum tu referebas ordine nodos
Difficiles sacra legis, decretaq. patrum,
Quæ genus e densis tollunt mortale tenebris
In nitidum cali lumen, sedesq. piorum.

TOBIAS assuetus erat puerilibus annis
Et præcepta Dei seruare, viamq. tenere,
Quæ ducit superam ad sedem stellantis Olympi.
Ipse solebat enim Hebræos inuisere semper,
Atq. iuuare opibus, tot fœtaq. spernere sacra,
Ex vitulos templo positos; quos fecerat auro
Ex solido Rex Ieroboam; tendebat at urbem
Hierusalem celsam Tobias, atq. ibi sacro
In templo supplex Domino consueta ferebat
Sacra: Deus nullo Tobiam tempore liquit,

Captiuus

Captivus quamvis esset: nam principis auram
 Salmanasar subito meruit: sic iusserat ille,
 Ille sator rerum, mundi. immobilis auctor:
 Huic libertatem nam Rex concessit, & vna
 Pergere quo vellet, comitesq. inuisere captos.
 Et quamvis illum arguerent, quod conderet ipsos
 Lumine iam cassos terra, patriæ sepulchro,
 Quod Rex Sennacherib vulgata lege vetabat:
 Non tamen abstinuit sese, quin casa piorum
 Corpora multa virum tegetet tellure; silens cum
 Iam medios noctis cursus vaga Luna teneret:
 Sollicitum tamen hunc non terror regius, aut mors
 Urgebat: timor at Domini, quem corde gerebat
 Infixum totosq. dies, noctesque, nec ullam,
 Vllam aliam firmo voluebat pectore curam,
 Quàm monitus, & sancta sequi mandata Tonantis.

F I N I S.



IONIDUS, & leueshana publicata propter. Dicitur prosumptione factis C. ff. iur. ad hoc
vide Fran. Marc. q. 261. part. 2.

is se lenocinium, qui in lenocinijs
men incidunt, & qua pena leno-
nes peniantur, fuse explicatur per
Ludo. à Pegue, in suis quæstio. crimi-
p. 15. vide et de materia ibi. c. 44.
n legem istam de adulterio, qui
o comperto suppre, accipiunt. l. 8. ff.
ns causa.

unizantur lenones, vide in antiq. cõ-
abandix titu. de lenonibus, & D. Sol.
is comment.

De crimine incestus.

Necsum committens non nisi iner-
certas personas testari potest. Vin-
cen. de Fran. decis. 27. nu. 6.

Pena incestus au fise cadit, que adul-
terij, vide Vincen. de Fran. decisio.

ncellus, & quando quis existerit, vi-
in l. 2. adulterium 38. ff. ad leg. sul.

Cudens monetam si adhuc non impresserit ima-
ginem Principis, an debeat puniri pena mor-
tis naturalis cum non appareat delictu perse-
cutu, vel alia pena, vide Gram. decisi. 74. & Me-
noch. de Arbitra. lib. 2. cas. 316. nu. 23.

Monetam falsam cudens, aut falsificans, qua pe-
na puniatur, vide Boer. decis. 254. num. 12. Ca-
pel. Tholos. quæst. 162. in additio. Vincen. de
Fran. decisio. 401. part. 2. Ludo. à Pegue. in suis
quæstio. criminu. cap. 6. Marain suo Spec. de
ordine iudic. part. 6. tit. et permeat aliquan-
do per viam inquisitionis, nu. 185.

Socij, & participes eorum, qui falsam cudunt mo-
netam eadem pena puniuntur, qua principia-
les eudentes, & torqueri possunt, vt prodeat
confocios. Ludo. à Pegue. cap. 46. v. 11.

Monetam extranei Principis falsificans, quomo-
do puniatur, vide eundem Ludo. à Pegue. c.
46. nume. 15. Sed eudens sub nomine alterius
Principis, an puniatur, vide Menoch. de Arbi-
tra. lib. 2. cas. 316. nu. 26.

In hoc crimine nota sunt noranda, nempe quæ-
libet teneri ad accutandum, condemnatum